# DISPUTATIONIS

DE

# FONTIBUS DIOGENIS LAERTII

PARTICULAM

# DE SUCCESSIONIBUS PHILOSOPHORUM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

*AD DOCTORIS GRADUM PROMOVENDUS*

**Victor EGGER**

Scholæ normalis olim alumnus,

In Facultate litterarum Burdigalensi philosophicis præfectus colloquiis.

---

BURDIGALÆ

EX TYPIS G. GOUNOUILHOU

11, VIA DICTA GUIRAUDE, 11

1881

# OPERUM NOTITIA

QUÆ TUM IN HAC DISSERTATIONE CONFICIENDA NOBIS PROFUERUNT, TUM AD OMNEM LAERTIANORUM FONTIUM MATERIAM TRACTANDAM PERTINENT.

---


Diogenes Laertius, *ed. Huebner, cum Is. Casauboni atque Aeg. Menagii commentariis; 4 vol., Lipsiæ, 1828-1833.*

Diogenes Laertius, *ed. Cobet, 1850 (biblioth. F. Didot).*

Bywater *(editionis hactenus ineditæ specimina tria):*

— *Aristotelis vita scriptore Laertio; Oxonii, 1879;*

— *Heracliti Ephesii reliquiæ; appendicis loco additæ sunt Diogenis Laertii vita Heracliti..., etc.; Oxonii, 1877;*

— *Laertii Diogenis de vita philosophorum versionis antiquæ fragmenta; Oxonii, 1880.*

G. J. Vossius. *De historicis græcis, ed. 1677.*

J. Jonsius. *De scriptoribus historiæ philosophicæ, ed. 1716.*

Mullach. *Fragmenta philosophorum græcorum, 3 vol. hactenus edita (biblioth. F. Didot).*

C. Müller. *Fragmenta historicorum græcorum, 5 vol. (biblioth. F. Didot).*

Am. Jacques. *Aristote considéré comme historien de la philosophie, thèse, 1837.*

E. Egger. *Callimaque considéré comme bibliographe (Annuaire de la Société pour l'encouragement des études grecques, 1876).*

A. Couat. *La querelle de Callimaque et d'Apollonius de Rhodes. (Annuaire de la Soc. pour l'enc. des études gr., 1877); — Le Musée d'Alexandrie (Annales de la Faculté des lettres de Bordeaux, mars 1879).*

Otto Schneider. *Callimachea, t. II (1873), p. 297-332: De Callimacheis indicibus.*

Ign. Rossii *Commentationes Laertianæ, Romæ, 1788.*

Klippel. *De Diogenis Laertii vita, scriptis, auctoritate; Nordhusæ, 1831; programma.*

Cobet. *Variæ lectiones; — Collectanea critica (in Mnemosyne, 1858, 1877, 1878, etc.).*

Val Rose. *De Aristotelis librorum ordine et auctoritate, p. 40 sqq.; — Die Lücke im Diogenes Laërtius und der alte Übersetzer (Hermes, t. I, 1866).*

Frid. Bahnsch. *Quæstionum de Diogenis Laertii fontibus initia; Gumbinnæ, 1868; dissertatio inauguralis.*

Frid. Nietzsche. *De Laertii Diogenis fontibus (Rheinisches Museum, 1868, p. 632-653, et 1869, p. 181-228); — Analecta Laertiana (Rheinisches Museum, 1870, p. 217-231); — Beiträge zur Quellenkunde und Kritik des Laertius Diogenes; Basel, 1870; programma.*

G. Roeper. *Conjecturen zu Diogenes Laertius (Philologus, t. III, 1848, p. 22-65; t. IX, 1854, p. 1-42); — Zu Laertios Diogenes I (Philologus, t. XXX, 1870, p. 557-577).*

O. Heine. *Kritische Beiträge zum siebenten Buche des Laertios Diogenes (Jahrbücher für Class. philol., 1869, p. 611-628).*

P. Leander Haas. *De philosophorum scepticorum successionibus... etc.; Wirceburgi, 1875; dissert. inaug.*

G. Kern. *Bemerkungen zum 10 Buch des Laertius Diogenes; Prenzlau, 1878; progr.*

J. Freudenthal. *Der Platoniker Albinos und der falsche Alkinoos; Berlin, 1879; Anmerkung n° 4 (p. 305-315): Zur Quellenkunde des Laertius Diogenes.*

Ern. Maass. *De biographis græcis quæstiones selectæ; Berlin, 1880.*

Scheurleer. *De Demetrio Magnete; Lugduni Batav., 1858; dissert. inaug.*

Spengel. *Die herculanensischen Rollen (Philologus, Suppl., t. II, p. 535-546).*

Fr. Bücheler. *Academicorum philosophorum index herculanensis, index scholarum Gryphiswaldensis, 1869.*

Comparetti. *Papiro ercolanese inedito; Torino, 1875.*

Diogenis Laertii operi Βίοι καὶ γνῶμαι τῶν ἐν φιλοσοφίᾳ εὐδοκιμησάντων inscripto viri docti jampridem omnimodo studuerunt, ut præcipuo nobis de universa Græcorum philosophia thesauro. Hujus autem fontium inquisitioni, quæ tanti momenti est ad statuendam illius inconditæ monumentorum et narratiuncularum farraginis auctoritatem, operam nuper dederunt diligentissimi et eruditissimi inter Germanos. Quibus tamen præcipua fuit cura proximos primum Laertii auctores, illos dico quos ipse legerat et excerpserat, dein horum auctorum auctores detegere, atque ita, fontibus altius atque altius repetitis, quasi e stirpe genuinos Laertianæ compilationis majores regrediendo referre. Sibi imprimis Nietzschius talia molitus laudem meruit haud mediocrem; sed, quantam ingenii laudem retulerat, tantam simul accepit a ceteris Germaniæ criticis offensionem, ejus disserendi et concludendi rationem vituperantibus; unde clare apparuit, et eum quod non obtineret attrectavisse, et indicia deesse in Diogenis Laertii scriptura quibus enodari possit Laertianorum fontium indagatio, si modo ita ut diximus definita sit et constituta.

Quare, eamdem inquisitionem post Val. Roseum, Bahnschium, Nietzschium, Freudenthalium, Roeperum, alios, repetenti mihi visum fuit novam in investigando rationem eligendam esse.

1° Prudentis critici esse opinatus sum totam quæstionem in certas partes ita dividere ut quæque pars facilius alia post aliam perspecta expediatur. Nostræ autem partitionis rationem ipsa præbebat Laertii scriptura, in qua persæpe diversa argumenta sive brevibus commissuris sive transituum ipsa inopia sicce discriminantur. Hac materiæ dispositione quasi admoniti, quatuordecim indagationes, alioquin et

pondere et difficultate longe dispares, seorsum statuimus esse instituendas; quarum argumenta decet enumerare :

1. Homonymorum discrimen.
2. Temporum notatio.
3. Philosophorum successiones.
4. Philosophorum vitæ, id est stirps, facta, mors, habitus, indoles.
5. De philosophis maledicta et flagitiosæ narratiunculæ.
6. Apophthegmata.
7. E litterarum monumentis, comœdiis præcipue et satiris, desumpta judicia et testimonia.
8. Epigrammata, sive Laertii ipsius, sive aliorum.
9. Epistolæ.
10. Testamenta ac decreta, id est certa monumenta.
11. Librorum indices.
12. Philosophorum ipsorum scripta.
13. Doctrinarum aut placitorum collectiones.
14. Priorum cujusque inventi auctorum notatio.

Quarum ampli operis particularum tertiam tantum singillatim et ordine tractavimus, interdum, prout hanc persequendo res nascebatur, ceteras summis digitis tetigimus, diligentioribus totam quæstionem perficiendi curam reliquimus.

2° Non, ut Nietzschio, ex iis qui Diogeni Laertio propiores ætate auctores essent, ad antiquiores retrogredi nobis visum est; sed contra majoris ponderis opus facturos esse nos arbitrati sumus, si ex antiquioribus ad recentiores, servato usque ad Diogenem ipsum temporum ordine, procederemus. Hac autem nostra indagandi via, quamvis Nietzschii rationi contraria, non ad certa minus neque minus gravia, sive ad philosophiæ historiam et historiæ philosophiam, sive ad rem ipsam spectes, in hoc studio perveniri posse, attento ac benevolo, ut speramus, lectori apparebit.

DE

# FONTIBUS DIOGENIS LAERTII

# PHILOSOPHORUM SUCCESSIONES

## CAPUT I

### De Aristotele ejusque discipulis, imprimis de Theophrasto.

Eruditi viri Alexandrinæ scholæ adscripti ut instituerunt omni genere litteratorum virorum historiam religiosissima veritate et quasi in modum exactissimæ scientiæ scribere, ita describendi quomodo aliæ ex aliis ortæ sint philosophorum doctrinæ auctores fuerunt. Res autem summatim consideranti patet hoc ordinandæ litterarum historiæ consilium a peripateticis Alexandrinorum magistris, nec non ab Aristotele ipso, in Alexandrinam scholam defluxisse [1]. Etenim ille a quo inchoata est Alexandrina bibliotheca Demetrius fuit Phalereus, Theophrasti discipulus, et inter eruditos viros qui postea Alexandriæ floruerunt, nonnulli, minime ignobiles, ut Hermippus et Satyrus, peripatetici dicuntur.

Ipse tamen Aristoteles non satis intellexit quantum illustretur mentis humanæ historia si doctrinæ considerentur qua ratione defluant aliæ ex aliis. Quum antecessorum suorum opiniones recognoscit, id maxime agit ut doctrinas e similitudinibus in certas classes distribuat. Nunc singulorum doctrinas haud aliter atque animalia viva aut corpora aptis inter se partibus cohærentia

[1] De originibus Alexandrinæ bibliothecæ et Musæi peripateticæ scholæ referendis, vide Ravaisson, *La Métaphysique d'Aristote,* t. I, p. 13-14; E. Egger, *Callimaque*... etc.; Couat, *Le Musée d'Alexandrie*.

describit, nunc doctrinarum quasdam familias tanquam sodalitia iisdem legibus constituta; qua parte aliæ aliis consentiant, qua repugnent, indicat; deinde quas summatim exposuit sententias introspicit, eis modo adstipulatur, modo repugnat. Sæpe primos singularum notitiarum auctores religiose notat, ut quum Thales ab eo dicitur ὁ ἀρχηγὸς τῆς τοιαυτῆς (id est ὑλικῆς) φιλοσοφίας (Metaph. A, 3, p. 983 b 7, 20), quumque Hesiodus ante philosophos Amorem principium et causam totius rerum naturæ declaravisse significatur (Met. A, 4 init.). Quod si unius alteriusve tempora definit, si nonnunquam alium alius aut discipulum aut magistrum inscribit, id non de industria, sed quasi transeundo facit et ipsa orationis serie coactus. Prorsus aliud est ejus propositum, ad quod firma tendit ratione, citra omnem curam seu temporum, seu cognationis quæ inter discipulos ac magistros exstitit, ut rerum quæ parum ipsi videantur habere ponderis.

Ita, quum in primo Metaphysicorum (cap. 3, 4, 5, 6) doctrinas de principiis recenset, post Thaletem, nulla habita cognationis ratione, eos enumerat qui Thaleti aliquatenus similia opinati sunt (cap. 3), una Anaximenem nominans et Diogenem Apolloniatam, fraternis dogmatibus revera compares, sed longo temporis intervallo disjunctos, Anaximandrum autem omittens qui Thaletis disciplinam Anaximeni tradiderat. Quod si, sub finem illius recensus, magni nobis pretii testimonium addit : Ἀναξαγόρας... τῇ μὲν ἡλικίᾳ πρότερος ὢν τούτου (Empedoclis), τοῖς δ' ἔργοις ὕστερος, id eo tantum consilio notat ut Empedoclem Anaxagora priorem fuisse, non ut alterum ab altero traditam doctrinam accepisse confirmet, quatenus ambobus communis fuit. Sic etiam in Xenophane nihil aliud curat quam eum τοῦ ἑνὸς inventorem declarare, quum antea Melissum ac Parmenidem, post illum ἑνίσαντας, citaverit : Ξενοφάνης δὲ, πρῶτος τούτων ἑνίσας (ὁ γὰρ Παρμενίδης τούτου λέγεται μαθητής) κτλ. (Met. A, 5, p. 986 b 22). Haud aliter Clazomenium Hermotimum notat ut hominem qui Anaxagoræ civi suo facem prætulerit (Met. A, 3, sub fine), aliquam philosophiæ disciplinam ex professo ab illo alteri traditam esse non significans, sed tantum illum ante alterum de Mente rerum ordinatrice nonnihil excogitavisse; nec immerito, quoniam Hermotimus theologus fuisse potius quam philosophus videtur (1). Haud aliter placitum quoddam impugnat ὃν Ἀναξαγόρας

(1) Zévort, *La Vie et la Doctrine d'Anaxagore*, 1843, p. 7.

μὲν πρῶτος, Εὔδοξος δ' ὕστερον καὶ ἄλλοι τινὲς ἔλεγον (Met. A, 9, p. 991 a 17), non ita ut Eudoxum dicat illud ab Anaxagora derivasse. Non alia ratione quid auctori Socrati debuerit philosophia aptissime definit (Met. M, 4 et 9; A, 6, init.; etc.), nusquam vero scripsit qui prima philosophandi elementa Socrati tradiderint. Persæpe Leucippum ac Democritum conjunctim, ut gemellos, nominat, nec non semel hisce verbis quodam modo dubiis: Λεύκιππος καὶ ὁ ἑταῖρος αὐτοῦ Δημόκριτος (Met. A, 4, p. 985 b 4) eos in cogitando, forsan et in vivendo, socios fuisse significat; at prioris posteriorem fuisse discipulum notare, quasi rei incuriosus, semper omittit. Etiamvero Pythagoreos nusquam enumerat, neque eorum vel unum in ullo loco nominat (1), nedum successionem indicet; uno verbo τοὺς καλουμένους Πυθαγορείους appellat, horum communem doctrinam et exponit et perpendit, semel tantum doctrinam quorumdam Pythagoreorum propriam discernit (Met. A, 5, p. 986 a 22 : ἕτεροι δὲ τῶν αὐτῶν τούτων λέγουσιν, κτλ.).

Accuratius duarum tantum doctrinarum origines tractavit, Alcmæonis dico et Platonis, ita de illo post Pythagoreos locutus: ὅνπερ τρόπον ἔοικε καὶ Ἀλκμαίων ὁ Κροτονιάτης ὑπολαβεῖν, καὶ ἤτοι οὗτος παρ' ἐκείνων ἢ ἐκεῖνοι παρὰ τούτου παρέλαβον τὸν λόγον τοῦτον· καὶ γὰρ ἐγένετο τὴν ἡλικίαν Ἀλκμαίων ἐπὶ γέροντι Πυθαγόρᾳ, ἀπεφήνατο δὲ παραπλησίως τούτοις (Met. A, 5, p. 986 b 26); de Platone autem ita: ἐκ νέου συνήθης γενόμενος πρῶτον Κρατύλῳ καὶ ταῖς Ἡρακλειτείοις δόξαις..., Σωκράτους δὲ περὶ μὲν τὰ ἠθικὰ πραγματευομένου..., ἐκεῖνον ἀποδεξάμενος κτλ. (Met. A, 6, init.); duos illos magistros ostendit quidem, quorum sermones ipsis auribus audierat juvenis Plato, sed de Pythagoreorum cum Platone consensu tantum disserit (Met. A, 6; et alibi frequentissime), nec non addit quomodo Parmenides Platonis ingenio stimulos adhibuerit (Met. N, 2), Platonem Pythagoreos et Eleaticos sive audivisse sive legisse nusquam asseveravit. — Ne quid omittamus, Aristoteles brevissime quæ fuerit inter Cratylum et Heraclitum cognatio disertis verbis expressit: ἡ ἀκροτάτη δόξα..., ἡ τῶν φασκόντων ἡρακλειτίζειν, καὶ οἵαν Κρατύλος εἶχεν, κτλ. (Met. Γ, 5, p. 1010 a 11); idem sophistis Aristippum annumeravit, nedum eum addidicerit Socrati (Met. B, 2, p. 996

(1) Pythagoreus Πάρων (Phys. IV, 13, p. 222 b 17) librarii lapsu personæ speciem induit, quum nihil aliud eum esse quam Pythagoreorum aliquem forte παρόντα ipse Simplicius (f. 178 b) acute agnoverit et, Eudemi testimonium afferens, statuerit (Eudemi fragm. 52, ap. Mullachium, t. III).

a 32 : τῶν σοφιστῶν τινες, οἷον Ἀρίστιππος). — Quæ quidem exempla, ut legi contraria, ita legem ipsam comprobant, adeo rara sunt et sparsa, ut eo magis eluceat ipsius Aristotelis propositum in digerendis ac judicandis aliorum dogmatibus, non ad historiæ normam ordinandis (1).

Quid plura? e locis supra citatis constat Aristotelem intellexisse quam difficile sit successiones definire; non alia forsitan causa quæstionem hanc nusquam certo consilio complexus est. Noverat enim sive deesse testimonia, sive auctoritates; noverat doctrinam per libros e longinquo et quasi secreto posse tradi; noverat magistrum diutissime auditum non eum semper esse cujus ad sententias se maxime conformet discipulus. Præter hunc duplicem doctrinas per libros et verba tradendi modum, sunt et fortuiti occursus et inter opiniones insperati consensus, quibus successio ita mire fingitur ut historicum levioris judicii possint fallere. Quas periculosæ viæ salebras ipsa ejus docta modestia clarius fatetur quam recentiorum ab Alexandrinis usque ad Laertium historiæ philosophicæ scriptorum fiducia sæpius indocta. Quum vero recti judicii sit talium quæstionum difficultatem cognoscere, tum Aristotelis, audacissimi ingenii, erat eam superare conari; quam operam eum sibi proposuisse nullo indicio novimus; utcunque, si proposuit, non instituit.

Objicient nobis critici Aristotelem in servatis libris συνταγματικοῖς ita versari, eum vero probabiliter in perditorum librorum parte quadam diversam secutum esse exponendæ veterum philosophiæ rationem, eamque magis historicam. At ne ullo quidem hæc conjectura testimonio firmatur : namque hinc habemus librorum Aristotelicorum catalogos spuriis auctos, nedum truncatos, illinc fragmentorum quasi silvula nobis operum deperditorum speciem aliquam subjicit; illinc autem fragmentorum collectiones nuper a Valentino Roseo et ab Heitzio editæ ne minimum quidem præbent testimonium quod ad doctrinarum cognationem attineat; hinc, si catalogis illis fidem habemus, nulla videtur periisse continua philosophorum historia quam διαδοχήν vocare, ut mos fuit posterius, liceat; perierunt solum volumina separata, rem unicam tractantia, in quibus diversas doctrinas aut carptim describebat Aristoteles, aut seorsum refutabat : expositiones erant libri Περὶ τῶν Πυθαγορείων, Περὶ τῆς

(1) Satis apparet nos non plane consentire cum Amedæo Jacques, qui Aristotelem finxit magis historicum quam fuit revera.

Ἀρχύτου φιλοσοφίας, Περὶ τῆς Σπευσίππου καὶ Ξενοκράτους; censuras autem indicant tituli : Πρὸς τοὺς Πυθαγορείους, Πρὸς τὰ Ἀλκμαίωνος, Πρὸς τὰ Μελίσσου, Πρὸς τὰ Γοργίου, Πρὸς τὰ Ζήνωνος, Πρὸς τὰ Ξενοκράτους (aut Ξενοφάνους) (1); quæ descriptiones ac refutationes haud dubie longiores ac pleniores erant illis quas, prout res nata erat, Aristoteles libris συνταγματικοῖς, iis dico qui ætatem tulerunt, inseruit, eodem vero consilio scriptæ. Quem contemptum hujus quæ proprie vereque dicitur historia jure miramur in illo scriptore cujus cura collectæ fuerant Ὀλυμπιονῖκαι, Πυθιονῖκαι, Νῖκαι διονυσιακαί, Διδασκαλίαι, id est victorum in publicis ludis, tragœdiarum et comœdiarum Athenis actarum διαδοχαί. Quod tamen verum esse comperitur, etsi offensionis aliquid nostro judicio habet, pro vero tenendum est. Sane Aristoteles philosophiam ipsam historia præstare opinabatur; nihil autem præter meram veritatem perquirens, doctrinas superiorum retro philosophorum pro documentis tantum habebat, seu lineamentis, ad propriam suam doctrinam exstruendam pretii non nullius; sed peculiarem hanc utilitatem non perspexerat quam habet philosophiæ historia, ὡς ἱστορία, ut ipse dixisset, ad dijudicanda humanæ mentis incrementa.

In hac tractandæ materiæ ratione fuisse etiam Eudemus Rhodius videtur, ὁ γνησιώτατος τῶν Ἀριστοτέλους ἑταίρων (Simplicius ad Arist. Phys. III, 1, p. 200 b 32; Eudemi fragm. 32, ap. Mullachium, t. III); ejus enim Φυσικά, sæpe laudata in Simplicii commentario ad Aristotelis φυσικὴν ἀκρόασιν, multas præbebant priorum doctrinarum de natura enarrationes, multas etiam de iisdem disputationes; nullum autem διαδοχῆς fragmentum in hac fragmentorum copia affertur, nisi quod semel dicitur Ζήνων ὁ Παρμενίδου γνώριμος (fr. 7, ap. Mullachium). Quamquam idem ille Eudemus ἱστορίας γεωμετρικὰς scripserat, ἱστορίαν ἀριθμητικήν, ἱστορίαν ἀστρολογικήν (fr. 83-97, inter quæ fr. 94 e Laertio I, 23, desumptum est); idem etiam de philosophicis dogmatibus quæ theologicis sive Græcorum sive Asianorum latebant innixa (neglectis tamen Ægyptiorum opinionibus) peritissime disseruerat (fr. 117, e Damascio; fr. 118, e Laertio I, 9).

(1) Demonstravit Ed. Zellerus opus aristotelicum, quod servatum habemus, *De Melisso, Xenophane et Gorgia,* neque Aristotelis esse, neque Theophrasti, sed peripatetici cujusdam incerti nominis.

Tenuit idem in scriptis suis institutum Heraclides Ponticus, cujus operum index a Laertio servatus hos proponit titulos Aristotelis disciplinam plane redolentes : Περὶ τῶν Πυθαγορείων, Ἡρακλείτου ἐξηγήσεις, Πρὸς τὸν Δημόκριτον ἐξηγήσεις, et dialogos Πρὸς Δημόκριτον, Πρὸς τὰ Ζήνωνος, Πρὸς τὰ Μήτρωνος (forsan Μητροδώρου, contra quem scripserat Theophrastus : vide infra). Frustra quidem Deswertius, in luculenta de Pontico Heraclide dissertatione (1), probare conatus est duos libros Περὶ βίων clarorum virorum vitas comprehendere; quos libros physicis annumerat operibus index Laertianus, non, ut videtur, temerarie, quippe qui manum declaret prudentissimi cujusdam pinacographi ; sane in illis vitæ genera physice tractabat Heraclides (2) ; historica autem quinque testimonia, quæ Plutarchus e nostro Pontico desumpsit, ad politicos aut ethicos libros potius referenda censeo.

Jam opus illud quod magister instituere noluerat, quod ceteri ejus discipuli non instituerant, Theophrastus videtur aggressus esse, primusque vere historicus ad philosophorum successiones animum advertisse. Scripserat quidem, Aristotelis instar, Περὶ τῶν Ἀναξιμένους, Περὶ Ἐμπεδοκλέους, Περὶ τῶν Ἀναξαγόρου, Περὶ τῶν Ἀρχελάου, Περὶ Δημοκρίτου ; alii ejus libri feruntur Συναγωγαὶ τῶν Μητροδώρου (Metrodori Chii videlicet, Democritei et sceptici ; vide Laertium, IX, 58), τῶν Διογένους (forsan cynici), τῶν Ξενοκράτους ; alii refutationes continebant, sic inscripti : Πρὸς Ἀναξαγόραν, Πρὸς τοὺς ἐξ Ἀκαδημίας. Sed et in unam sexdecim librorum seriem, cui titulus erat Φυσικαὶ δόξαι, priorum philosophorum de natura placita ordine definito redegerat. Manifestum est in hoc librorum corpore enarrandis uniuscujusque dogmatibus præcipuam operam contulisse Theophrastum ; videtur autem simul et ex temporibus et e discipulorum cum magistris cognatione philosophos in ordinem redegisse.

Quod quidem opus fateor non nisi semel citari expresse, idque de aliqua doctrina (fragm. 28, ad calcem Theophrasti Naturalium, ed. Wimmer, biblioth. F. Didot); decet autem ad illud plerasque, ni fallor, mentiones operis Περὶ φυσικῶν octodecim librorum referre, quippe quæ titulo Φυσικαὶ δόξαι aptius congruant ; jam nihil superest

(1) Lovanii, 1830.
(2) Cf. infra, p. 16, de Dicæarcho.

offensionis si nobis concedatur sexdecim φυσικῶν δοξῶν libros nihil aliud esse atque ipsos sexdecim primos illius Περὶ φυσικῶν in octodecim divisi : de quo nempe Laertius in vita Parmenidis ita scribit: καθὰ μέμνηται καὶ Θεόφραστος ἐν τοῖς φυσικοῖς πάντων σχεδὸν ἐκτιθέμενος τὰ δόγματα (IX, 22)(¹); præterea satis multa supersunt hujus fragmenta de doctrinis Thaletis, Xenophanis, Anaxagoræ, Diogenis Apolloniatæ, Hicetæ Syracusii, Platonis, aliorum; quibus in fragmentis Theophrastus refert, non modo quid diversæ doctrinæ commune habeant, ut quum confirmat παραπλησίως τῷ Ἀναξιμάνδρῳ λέγειν τὸν Ἀναξαγόραν (fr. 46), sed etiam quo seu temporis seu cognationis ordine ortæ fuerint :

Τούτῳ (Xenophani) δ'ἐπιγενόμενος Παρμενίδης Πύρητος ὁ Ἐλεάτης κτλ. (fr. 44);

Ξενοφάνη τὸν Κολοφώνιον τὸν Παρμενίδου διδάσκαλον κτλ. (fr. 45);

Διογένης ὁ Ἀπολλωνιάτης σχεδὸν νεώτατος γεγονὼς τῶν περὶ ταῦτα σχολασάντων τὰ μὲν πλεῖστα συμπεφορημένως γέγραφε, τὰ μὲν κατὰ Ἀναξαγόραν, τὰ δὲ κατὰ Λεύκιππον λέγων (fr. 41);

Θεόφραστος τούς ἄλλους προϊστορήσας (λέγει) · τούτοις δ'ἐπιγενόμενος Πλάτων κτλ. (fr. 48).

Pauca quidem illa; sed notandum est Theophrasti fragmenta tantum truncata superesse, Aristotelis autem præcipua opera, et illa integra, nos in manibus habere; ita ut, si proportionem, ut par est, mente peræquemus, Theophrastum constet magistro fuisse valde ἱστορικώτερον (²).

Hisce quidem Theophrasti reliquiis subjiciendus est Laertii locus insignis (³) : Παρμενίδης Πύρητος Ἐλεάτης διήκουσε Ξενοφάνους. Τοῦτον Θεόφραστος ἐν τῇ ἐπιτομῇ Ἀναξιμάνδρου φησὶν ἀκοῦσαι (IX, 21).

(¹) Quod si nobis objiciantur nonnulla fragmenta in quibus Theophrastus suam ipsius de natura opinionem exponit ἐν πρώτῳ sive ἐν δευτέρῳ τῶν φυσικῶν, contra licebit reponere indicem Theophrasti Laertianum juxta opus περὶ φυσικῶν in octodecim libros divisum hos exhibere titulos : Περὶ φύσεως, tres libri; φυσικῶν octo libri; hoc autem opus licet existimare in exponendis ipsius scriptoris opinionibus totum versatum esse, quas tantum contraxerat in duobus ultimis magni operis libris in octodecim divisi.

(²) Alia quidem exstare suspicor hujus Theophrastei operis fragmenta, sparsa in variorum commentariis ad Aristotelem, præsertim quum negligentissime facta sit Wimmeri collectio, et Mullachius in fragmentorum Eudemiorum congerie (et ipsa negligentissime edita) haud raro afferat Theophrasti mentiones a Wimmero omissas (vide imprimis fr. 109); quidni ergo Mullachius, in hoc tertio volumine nuper edito, Theophrastea fragmenta iterum collecta eademque aucta edere instituit?

(³) Hunc locum Wimmerus omisit.

Quæ quidem verba duplicem controversiæ materiam præbent, — primum quod duobus Theophrasti locis supra commemoratis videntur repugnare, si hæc saltem Laertii intelligantur, ut solet, in hunc modum : *Anaximandrum a Parmenide (non autem a Xenophane) auditum fuisse tradit Theophrastus;* quam repugnantiam nunc significamus tantum, ad hanc quæstionem posterius iterum redituri (quum de Sotione disseremus, cap. VIII). — Dein quænam sit hæc ἐπιτομή explanandum. Duas exhibet Laertianus Theophrasti catalogus huic loco convenientes ἐπιτομάς : nempe operi Περὶ φυσικῶν in octodecim libros divisi subjungitur Περὶ φυσικῶν ἐπιτομή in duos libros; postea operi sexdecim librorum, cui titulus Φυσικαὶ δόξαι, altera Φυσικῶν ἐπιτομή unius libri; hunc autem titulum editores ita suppleverunt, ut verisimillimum est : Φυσικῶν [δοξῶν] ἐπιτομή. Si vere, ut opinamur, unum atque idem opus erant duæ illæ hinc octodecim illinc sexdecim librorum series, nobis in promptu est credere alterum prioris ἐπιτομῆς librum summarium fuisse duorum ultimorum operis Περὶ φυσικῶν librorum, in quibus videbitur quasi clausulam inclusisse suam de natura doctrinam Theophrastus; priorem autem prioris ἐπιτομῆς librum, id est summarium sexdecim primorum ejusdem operis librorum, nihil aliud esse atque ἐπιτομήν alteram.

Quidquid est, confirmare possumus Theophrastum veram philosophiæ naturalis historiam, sub alterutro titulo, singillatim primum, dein summatim scripsisse, sicut et peculiaribus in voluminibus arithmeticæ, geometriæ, astrologiæ (quod Eudemus quoque fecerat) scripserat historias. Itaque ab ipso scripta potest haberi prima διαδοχὴ τῶν φιλοσόφων.

Imitatores autem continuo non habuit Theophrasti exemplum, cujus posteri in hac ut in omni parte «degenerarunt», ut ait Cicero (De Fin., V, 5). Nulla enim Strato, qui post illum Lycæo præfuit, nisi meræ doctrinæ composuit scripta, si Laertio credimus; nec videtur Lyco, Stratonis successor, cujus quidem operum indicem non habemus, historiæ philosophicæ operam dedisse. Indicem contra Phalerei Demetrii servavit Laertius : in quo ne titulus quidem ullus, ad historiam litterarum pertinens, Demetrium prænuntiat Alexandrinæ bibliothecæ conditorem; catalogus contra fere totus rhetorem philosophum indicat, Platonis et Isocratis æmulum potius quam Aristotelis et Theophrasti.

Præterea, nullus inter illos Aristotelis discipulos qui laudantur historici potius quam philosophi, nullus, dico, sive de successione, sive de vitis philosophorum totum aliquid unoque tenore opus videtur composuisse.

Opinatur quidem vir doctissimus C. Muellerus Dicæarchum Βίους φιλοσόφων, Aristoxenum Βίους ἀνδρῶν, imprimis philosophorum, composuisse (Fr. hist. gr., t. II, p. 243, 271 sqq.), Phaniæ Eresii librum Περὶ Σωκρατικῶν non nisi partem majoris operis de philosophis fuisse (*ibid.*, p. 300), Clearchum denique Solensem non tantum de Arcesila, sed etiam de aliis philosophis opera ordine composita edidisse (*ibid.*, p. 317). Sed in hac re C. Muellerus nimium ingenio videtur indulgere.

Plutarchus quidem auctor est Aristoxenum scripsisse Βίους ἀνδρῶν, quem quoque Hieronymus chronographus proxime adjunctum nominat Hermippo, Antigono Carystio, Satyro, inter eos nempe qui vitas illustrium virorum narraverant; verum hinc Hieronymus ex fama incerta loqui videtur, illinc titulus ille a Plutarcho allatus nihil sane aliud est atque titulus quidam communis posterius a bibliopolis aut grammaticis impositus seriei Vitarum, quas seorsum Aristoxenus composuerat singulas : unus enim tantum poeta, Telestes nempe, philosophi quatuor, Pythagoras, Archytas, Socrates, Plato, laudantur quorum vitas scripserit Aristoxenus, quod mirum profecto foret si copiam vitarum serie digestarum congessisset; tres autem locos ad Lycurgum, Hipponem, Ponticum Heraclidem pertinentes, præbere potuerunt aut Ὑπομνήματα, aut Τὰ σποράδην, aut Σύμμικτα συμποτικά, aut alius quidam liber hujus πολυγράφου, quippe cujus Τὰ σποράδην de Mysone mentionem habebant. De duabus Socratis et Platonis vitis, quarum hæc a Demetrio Magnete, religiosissimo auctore, apud Laertium (V, 35) laudata fuit, illa ab optimo Platonis Apologiæ scholiasta, nulla erit disputatio. Sed Aristoxeni de Pythagora volumen sub diversis titulis commemoratur: dicitur enim Πυθαγόρου βίος a Clemente Alexandrino, a Jamblicho Περὶ πυθαγορικοῦ βίου, a Gellio *liber de Pythagora,* denique a Laertio (I, 118) Περὶ Πυθαγόρου καὶ τῶν γνωρίμων αὐτοῦ, qui videtur titulus vere genuinus, utpote qui cum enumeratione consentiat, quam apud Aristoxenum alicubi fuisse compertum est, postremorum, quos ipse viderat, Pythagoreorum, auditorum nempe Philolai et Euryti (Diog. L. VIII, 45), inter quos erat Xenophilus musicus, qui supra quinque et centum annos Athenis vixerat (fr. 16, ap. Muelle-

rum); ad eumdem librum sic, ut dicimus, inscriptum referre licet Πυθαγορικὰς ἀποφάσεις a Stobæo aliisque servatas (fr. 17-24). Hoc autem præter opus, in quo sane de Archyta summatim disserebat, peculiarem Aristoxenus Archytæ vitam videtur composuisse, quam laudat Athenæus (fr. 14). Singulas vero Euryti, Xenophili, obscurorum Pythagoreorum, Pythagoræ ipsius et Philolai vitas illum scripsisse non verisimile est, sed potius continuum opus et cohærens, in quo vitæ, placita et διαδοχή Pythagoreorum redacta erant et conjuncta, condidisse.

Quod ad Dicæarchum attinet, si vitas philosophorum ordine scripsisset, non dixisset, ut C. Muellero videtur, de Platone in primo libro, de septem Sapientibus et Pythagora in secundo et sequentibus. Semel et uni tantum fragmentorum ad Platonem, Sapientes, Pythagoram pertinentium libri mentio apponitur: Δικαίαρχος ἐν πρώτῳ περὶ βίων (Diog. L. III, 14), qui titulus operi morali convenit potius quam historico (1), neque illi eadem vis atque ei: Βίοι φιλοσόφων subjungitur. Ceterum verisimile est Dicæarchum proprium de Pythagora librum exaravisse, unde fluxerint non modo satis copiosa fragmenta a Muellero congesta (fr. 29-32), sed etiam hæc excerpta, eximia quidem, quæ a Jamblicho (De Pythagorica vita, § 36-58) e Dicæarcho transcripta fuisse Cobetus nuper demonstravit (Mnemosyne, 1877, p. 357). Potuerat profecto in scriptis aut philosophicis aut politicis aut musicis de Socrate et Sapientibus commentari; ex enim quatuor aut quinque fragmentis, exiguis illis, non continuo forma justi operis intelligitur; Dicæarchus autem eminere debebat «vir in primis eruditus» (Plin., H. N., II, 65) et ἱστορικώτατος (Cic., Ad Att., II, 6) in iis etiam operibus quæ ad vitas philosophorum describendas minime spectabant: ita potuerat in morali aliquo opere Platonis discipulam Axiotheam commemorare, quam de more virilem vestitum induisse tradiderat (D. L. III, 46).

Similiter Phanias Eresius de Petrone quodam Italico aut Siculo (fr. 22) et de Archyta (fr. 23, si modo φανερῶς apud Suidam corrigere licuit in Φανίας ὁ Ἐρέσιος) loqui potuit in libris Περὶ τῶν ἐν Σικελίᾳ τυράννων aut Πρὸς τοὺς σοφιστάς. Hoc unum certum est, Phaniam Περὶ τῶν Σωκρατικῶν scripsisse librum, in quo collecta erant et ἀποφθέγματα (D. L. VI, 8, de Antisthene) et narratiunculæ (D. L. II, 65, de Aristippo), quæ potuerat ex ore senum audire Athenis vitam

(1) Epicuri liber Περὶ βίων moralis erat commentatio (D. L. X, 119).

degentium eodem tempore quo ipse Aristotelem audiebat, sicut et Aristoxenus plura de Socrate tradita ex ore patris Spinthari potuit accepisse.

Clearchi autem Solensis Βίοι, frequenter ab Athenæo laudati, morale quoddam opus erant oratoriumve, non historia philosophiæ, quamquam ibi passim, non ordine, aliquot reperiebantur fabellæ de Gorgia (fr. 15), de Anaxarcho (fr. 14), de quibusdam forsitan aliis. In opere autem Ἀρκεσίλας inscripto (fr. 44 a) vitam hujus academici philosophi referre non poterat Clearchus, utpote sibi æqualis; ex hoc titulo conjectari licet dialogum aut laudationem quamdam Isocratis Demetriique Phalerei more compositam. De Pythagora, de Sapientibus eorumque dictis (fr. 44 b, c), Clearchus potuerat narrare in libris Περὶ παιδείας (ubi de gymnosophistarum et magorum ætate sermo erat : D. L. I, 9), Περὶ παροιμιῶν, Περὶ γρίφων, aut in quolibet opere plus minus philosophico. Ceterum quæ supersunt fragmenta Clearchum indicant πολυγράφον fuisse et rhetorem, fabellarum studiosissimum, dicteriorum, mirabilium (ut quum de Platone Apollinis filio, matre virgine orto, narrat, apud D. L. III, 2), potius quam religiosum historicum ac diligentem.

Ex illa omni disceptatione constat Aristotelem nec non priores ejus discipulos rationem instituisse eruditis Alexandrinæ scholæ viris sequendam, ex qua tamen ipsorum scripta nondum exstiterant, nisi pauca et adumbrata : via patefacta erat, sed rudis adhuc, nedum trita; quamquam Alexandrini, quum suscepere continua de litterarum historia opera perficienda, ex illis peripateticorum seu quæsitis seu lineamentis multam ceperunt ad describendas philosophorum διαδοχάς utilitatem.

Quæ prima ab Aristotelis discipulis tradita monumenta, pro cujusque pretio et utilitate, ita censemus distribuenda :

1° Theophrasti φυσικῶν δοξῶν libri ;

2° Aristoxeni opus Περὶ Πυθαγόρου καὶ τῶν γνωρίμων αὐτοῦ, in quo διαδοχή Pythagoreorum tota continebatur;

3° Phaniæ liber Περὶ τῶν Σωκρατικῶν ;

4° Testimonia quædam sparsa et in vitis ab Aristoxeno conscriptis, et in diversis libris, varie inscriptis, ejusdem Aristoxeni, Theophrasti, Dicæarchi, Phaniæ, Clearchi.

# CAPUT II

## De ceteris Alexandrinorum criticorum fontibus.

Quibus notitiis e peripatetico fonte manantibus subjicienda sunt :

1° Testimonia alia, sparsa quoque, in libris auctorum a peripatetica schola alienorum, aut illa antiquiorum :

— seu comicorum poetarum, quos quidem enumerare supervacaneum est;

— seu historicorum, ut

— Hippyis Rhegini (v. Muellerum, t. II, p. 14, ad fragm. 6),

— Glauci Rhegini (D. L. VIII, 51, de Empedocle; IX, 38: Democritum τῶν Πυθαγορείων τινὸς ἀκοῦσαι),

— Ionis Chii (D. L. II, 7),

— Damastis Sigeensis, qui scripserat Περὶ ποιητῶν καὶ σοφιστῶν,

— Theopompi (D. L. I, 116: Pherecydem πρῶτον περὶ φύσεως καὶ θεῶν Ἕλλησι γράψαι),

— Ephori (D. L. VIII, 54 : Empedoclem ἀκοῦσαι Πυθαγόρου κτλ.),

— Andronis Ephesii (D. L. I, 119 : Pherecydi Πυθαγόραν σχολάσαι),

— Duridis Samii (Porph., Pyth. vita, 3 : filium Pythagoræ Arimnestum διδάσκαλον γενέσθαι Δημοκρίτου) ;

— seu philosophorum, ut

— Xenophontis et Platonis,

— Aeschinis (D. L. II, 65 : Ἀρίστιππος τὸ μὲν γένος ἦν Κυρηναῖος, ἀφιγμένος δ' Ἀθήναζε, καθά φησιν Αἰσχίνης, κατὰ κλέος Σωκράτους),

— Hermodori Syracusii, Platonis discipuli, qui scripserat περὶ Πλάτωνος συγγραφήν (D. L. II, 106, et III, 6 : post Socratis mortem, quum esset annorum duodetriginta, ad Euclidem Megara se contulit Plato cum aliis aliquot Socraticis; Simplicius, ad Arist. Phys., p. 54b, 56b; v. Buechelerum ad Herculanensis codicis paginam 6);

— seu rhetorum, ut

— Alcidamantis, Gorgiæ discipuli (vide D. L. IX, 54; Sauppe, Fragmenta oratorum, 154), qui ἐν τῷ φυσικῷ asserebat κατὰ τοὺς αὐτοὺς χρόνους Ζήνωνα καὶ Ἐμπεδοκλέα ἀκοῦσαι Παρμενίδου, εἶθ' ὕστερον ἀποχωρῆσαι, καὶ τὸν μὲν Ζήνωνα κατ' ἰδίαν φιλοσοφῆσαι, τὸν δ' Ἀναξαγόρου διακοῦσαι καὶ Πυθαγόρου · καὶ τοῦ μὲν τὴν σεμνότητα ζηλῶσαι τοῦ τε βίου καὶ τοῦ σχήματος, τοῦ δὲ τὴν φυσιολογίαν (D. L. VIII, 56);

— Alcimi, Stilponis quidem scholæ philosophicæ addicti (D. L. II, 114), qui contendebat plurima Platonem sibi de Epicharmi pythagorici libris assumpsisse (D. L. III, 9 sqq.);

2° Timonis Phliasii Σίλλοι, quantum historicæ veritatis in acerba satira supererat;

3° Idomenei liber, inscriptus, sicut et Phaniæ, Περὶ τῶν Σωκρατικῶν (D. L. II, 19 et 60; III, 36; Athenæus, XIII, p. 611, quo ex loco patet Laertii libri II caput 60 fluere totum ex eodem auctore), modo Idomeneus ille idem sit atque hic Lampsacenus, Epicuri familiaris, in Laertiana Epicuri vita sæpe laudatus, quod sane confidentius asserit C. Muellerus (t. II, p. 489 sqq.);

4° Testimonia ad Stoïcam scholam nuper ortam pertinentia, quæ plus minus copiosa inveniebantur in scriptis Persæi Cittiensis, Zenonis discipuli (D. L. VII, 1 et 28);

5° Testimonia de Epicuro et primis ejus discipulis, invenienda sane in libris Metrodori Lampsaceni aut Hermarchi, profecto in libris Epicuri ipsius, qui se ipse profitebatur αὐτοδιδάσκαλον (D. L. X, 13), et demonstrare nitebatur (D. L. X, 2 : ἐφάψασθαί τε φιλοσοφίας αὐτός φησιν ἔτη γεγονὼς τέτταρα καὶ δέκα; X, 7 : in epistola quadam Nausiphanem indignabatur εἰς ἔκστασιν τοιαύτην venisse ὥστε μοι λοιδορεῖσθαι καὶ ἀποκαλεῖν διδάσκαλον). Quid autem utilitatis Epicurus et Hermarchus capesserent ex eo quod affirmabant οὐδὲ Λεύκιππόν τινα γεγενῆσθαι φιλόσοφον (D. L. X, 13), ita ut Democritus et ipse αὐτοδιδάσκαλος fieret, non equidem video. Quædam de Stoïcorum initiis etiam in epistolis Epicuri legebantur (D. L. VII, 5).

## CAPUT III

### De Callimacho.

Jam veniamus ad Alexandrinorum opera. Primus autem qui, rationem a peripateticis traditam secutus, maxima et eruditissima de litterarum historia composuit opera, fuit Callimachus, bibliothecæ alexandrinæ secundus, post Zenodotum, præfectus. Ingens ille opus composuit, cxx libris constans, hoc titulo inscriptum : Πίνακες τῶν ἐν πάσῃ παιδείᾳ διαλαμψάντων καὶ ὧν συνέγραψαν, cujus pars ad philosophos spectabat. Alioquin quo ordine distributa fuerint litteratorum virorum nomina, incertum : alii κατὰ στοιχεῖον, alii κατὰ χρόνους, alii καθ' αἱρέσεις censuerunt.

Καθ' αἱρέσεις nomina distributa fuisse conjectant ex hujus loci auctoritate : Ἀττάλου τοῦ βασιλέως ἐγένετο κόλαξ καὶ διδάσκαλος Λυσίμαχος, ὃν Καλλίμαχος μὲν Θεοδώρειον ἀναγράφει, Ἕρμιππος δ' ἐν τοῖς Θεοφράστου μαθηταῖς καταλέγει (Athenæus, VI, p. 252 e). Sed nihil impedit quin ita intelligatur hoc verbum ἀναγράφει : Callimachus Lysimachum notabat Theodoreum, id est ejus nomini cognomen hoc apponebat.

Κατὰ στοιχεῖον autem censuerunt Waschmuthius et Nietzschius (Rh. Mus., 1869, p. 189 sqq.). Cui si credamus, nihil aliud erant Callimachi πίνακες atque catalogus in bibliothecæ Alexandrinæ usum factus, cujus ideo quæque pars ad litterarum ordinem erat digesta, ceterum in quinque partes dissectus, quibus tituli erant inscripti ἀναγραφὴ τῶν ποιημάτων, ἀναγραφὴ τῶν ῥητορικῶν, ἀναγραφὴ τῶν ἱστορικῶν, ἀναγραφὴ τῶν φιλοσόφων, ἀναγραφὴ τῶν παντοδαπῶν ; unaquaque enim e græcis quatuor et viginti litteris unumquemque signante librum, et opere toto ex quinque partibus constante, computatur ita numerus cxx librorum, idem qui apud Suidam legitur ; hæc autem arithmetica ratio ab Athenæo (XIV, p. 643 e) confirmari videtur enumerante secundum ordinem litterarum quatuor auctores qui πλακουντοποιϊκὰ συγγράμματα scripserant. Cum priorum quatuor partium hæc esset ratio ut scriptores secundum litterarum ordinem enumerarentur, in quinta parte, quæ τὰ παντοδαπὰ συγγράμματα continebat, alia verisimiliter ratio prævalebat : singula

igitur humanarum artium genera, veluti νόμοι, πλακουντοποιϊκά, hac in parte secundum litterarum ordinem sequebantur, ita ut omnes unius generis scriptores uno loco, iique rursus litterarum ordine, collocarentur.

Ita Nietzschius, adversus quem primum dici potest horum cxx librorum, quos eadem littera singulos quinquies notabat, nonnullos nihil potuisse continere, inter eos saltem qui littera Z, seu Ξ, seu præsertim Ψ signati essent.

Præterea Suidas, proxime sub πίνακας ἐν βιβλίοις κ' καὶ ρ', hunc titulum exhibet : Πίναξ καὶ ἀναγραφὴ τῶν κατὰ χρόνους καὶ ἀπ' ἀρχῆς γενομένων διδασκάλων; quod opus Nietzschio videtur seorsum esse scriptum a Callimacho, utpote paraturum hanc πινάκων certam partem quæ carmina omnis generis comprehendebat. Verum Otto Schneiderus (*Callimachea,* t. II, p. 297-332) haud sine veri specie conjicit Suidam ita indicasse primam πινάκων partem, id est primum πίνακα illius seriei jure inscribendæ totius οἱ πίνακες, et, quoniam hic primus πίναξ continuabatur κατὰ χρόνους, sic ceteros eadem ratione ordinatos esse opinatur, exceptis auctoribus incertæ ætatis, qui plerique versabantur, ut par est, in obscurioribus et inferioribus scriptionum generibus, veluti quatuor illi qui apud Athenæum κατὰ στοιχεῖον enumerantur.

Evincit O. Schneiderus adversus Nietzschium bibliothecæ Alexandrinæ catologos, πίνακας quidem appellatos, sed jam ante Callimachum a Zenodoto ejusque sociis confectos, secernendos esse a Callimachi litterario thesauro πίνακες inscripto : in quibus conscribendis hic illos in usum suum ita converterat mutuando, ut opus novum, ad historiam litterarum pertinens, ederet, non simplicem nominum ac titulorum commentarium. In catalogis autem Zenodoteis, credi licet poetas et scriptores, per genera primum distinctos, dein κατὰ στοιχεῖον in genere quoque ordinatos fuisse, sicut et hodie apud nos fieri solet; sed Callimachum eosdem omnes disponere voluisse κατὰ χρόνους verisimile est. Hactenus Schneiderus.

Voluisse Callimachum equidem concedo; an utique potuerit, dubito; an eodem ordine distribuerit alios ac poetas scenicos, ex nullo indicio apparet, nisi ex æquabilitate rei (ut ait O. Schneiderus), id est analogia, quod satis non facit. Si quid de poetis scenicis compertum est, id continuo de aliis poetis et scriptoribus inferre, audacior est ratiocinatio : disponendi enim κατὰ χρόνους scenicos poetas opera sane erat facillima, imo librario cuilibet

aptissima, quum et Aristoteles tragœdiarum et comœdiarum Athenis actarum διδασκαλίας ordine coegisset, et Dicæarchus ὑποθέσεις τῶν Σοφοκλέους καὶ Εὐριπίδου μύθων (C. Muellerus, t. II, p. 247) scripsisset; ceteros poetas et scriptores eodem ordine disponere res erat subtilis curæ et longi laboris, « periculosum opus et plenum aleæ » ; quod aggredi forsan Callimachus recusavit, historicis annotationibus Zenodoti catalogos explanasse satis habens et præcipua vitarum tempora, quæ testimoniis constare legendo viderat, notavisse.

Quod si probaretur ordo κατὰ χρόνους, dici posset opus Callimachi fere idem fuisse atque διαδοχὰς τῶν ἐν πάσῃ παιδείᾳ διαλαμψάντων, et peculiarem ἀναγραφὴν τῶν φιλοσόφων principium fuisse διαδοχῶν τῶν φιλοσόφων posterius compositarum. Sed revera nescimus quis primus philosophos distribuerit secundum temporis ordinem, qui fere idem est atque cognationis ordo. Sane ita ordinavit philosophos Hermippus Callimacheus; utrum vero primus ille ordinaverit, an viam a magistro tritam perlustraverit, ignoramus.

Hoc tantum scimus, Callimachum in commentario de philosophis testimonia collegisse de eorum studiis ac magistris : sic enim τοῦ Πυθαγορικοῦ διδασκαλείου μεταλαβόντε dicebantur Parmenides magister et Zeno discipulus ejus (Proclus, in Parmenidem Platonis, éd. Cousin, p. 5); — de Eudoxo Cnidio hæc narrabat : τὰ γεωμετρικὰ Ἀρχύτα διήκουσε, τὰ δ' ἰατρικὰ Φιλιστίωνος τοῦ Σικελιώτου (D. L. VIII, 86); — Lysimachum quemdam Theodori doctrinis addictum asserebat (v. supra p. 20). Quæ loca, nec non quædam ejusdem generis alia nequaquam ad philosophos spectantia, ita possunt intelligi : videtur quidem Callimachus suis auctorum operumve indicibus sine ratione et per saturam addidisse diversa de vitis aut de aliis rebus testimonia, ex permultis quæ legisset libris passim collecta. Videtur etiam constare veram illam, justam firmamque rationem, ab Aristotele ac Theophrasto traditam, tunc temporis omnino esse desuetam, non sane quod attinet ad externam illius rationis speciem, nempe ad hoc monumenta congerendi studium, sed quod attinet ad illam mentis vim qua expenduntur et in unum corpus componuntur monumenta, ad illam interpretandi ea et ordinandi artem. Posterius vero sensim apud Alexandrinos rursus viguit subtilitas judicii; imo, post unum sæculum, Aristarcho vigente, maxime enituit. Callimachus autem et primi qui post illum vixerunt philologi, recta solum voluntate insignes, sæpe erravere : sic, contra Callimachi opinionem, recentiores inter criticos constat genuinum esse Parmenidis

poema (D. L. IX, 22) [1], nec minorem habere fidem opus inscriptum Τριαγμοί Ionis Chii (v. C. Muellerum, t. II, p. 44-45, 49-50); jam veteres Callimacho objiciebant quod rhetorum numero Prodicum adscripsisset, eumdem in philosophorum indice prætermisisset (Schol. Aristoph. Av., 692); sane ab illo quoque primum in eodem indice prætermissus fuit Gorgias, neglecta auctoritate Aristotelis, qui adversus Gorgiam philosophum scripserat; quem errorem, ut opinor, religiose amplexi sunt ii qui Callimachum subsecuti sunt omnes usque ad ipsum Laertium : hic enim, ut negligit Prodicum, vix in transitu nominatum (IX, 50), ita cursim Gorgiam laudat, et quidem ut rhetorem (VIII, 58, 59; cf. VI, 1 : Γοργίου τοῦ ῥήτορος κτλ.).

---

## CAPUT IV

### De Hermippo.

Post Callimachum Hermippus, ejus discipulus, scripsit, paulo post annum 204 ante Chr. n., βίους philosophorum, rhetorum, forsan aliorum, opus amplissimum. Hunc saltem ad temporum ordinem litteratos homines enumerasse videtur constare : narrabat enim de Isocrate ἐν τῷ περὶ Ἰσοκράτους (fr. 55, ap. C. Muellerum, t. III), de Isæo ἐν τῷ β' περὶ τῶν Ἰσοκράτους μαθητῶν (fr. 57), de Hyperide ἐν τρίτῳ κτλ. (fr. 64), qui profecto libri non nisi partes erant ingentis thesauri aut Βίοι, si Muellerum sequimur, inscripti, aut, si alios, Περὶ τῶν ἐν παιδείᾳ διαλαμψάντων (v. infra); nihil autem est cur illum fingamus non ex eodem ordine atque rhetores distribuisse philosophos. Ex his sane quorumdam capitum titulis qui ad nos pervenerunt :

— ἐν τῷ πρώτῳ περὶ Πυθαγόρου (fr. 21, de Pythagora ipso),

(1) Bentleius tamen Callimachum defendit arguta Diogeniani hujus loci interpretatione : v. O. Schneiderum ad fragm. 14. Contra Bentleium opponimus Hermippi fragmentum 27 ap. C. Muellerum (ex D. L. VIII, 56-57; vide infra p. 24) : Callimacho magistro videtur consentire Hermippus, quippe qui Empedoclem contendat in poemate Xenophani æmulum fuisse, minime vero Parmenidi.

— ἐν δευτέρῳ περὶ Πυθαγόρου (fr. 24, ap. D. L. VIII, 10, de consuetudine quadam Pythagoreorum),

— ἐν τῷ περὶ Ἀριστοτέλους (fr. 41, ap. D. L. V, 1, de stirpe Aristotelis),

— ἐν τῷ περὶ Ἀριστοτέλους πρώτῳ (fr. 42, de Herpylli),

— ἐν τῷ περὶ Θεοφράστου (fr. 45, ap. D. L. II, 55),

non certum apparet ab Hermippo in scholas divisos fuisse philosophos; quod non ex hoc loco magis apparet in quo idem inter Theophrasti discipulos Lysimachum quemdam recenset, quem Callimachus Theodoreum in tabulis suis inscripserat (fr. 46; v. supra, p. 20). Sed temporum ordo, ab Hermippo observatus, — quamvis non plane sit idem atque hic ordo quo ad magistros referuntur discipuli, quoniam diversarum philosophi scholarum sæpe fuerunt æquales, — ille tamen ordo multum ad hunc accedit, quippe suadet temporum notatio ut notentur ipsæ doctrinarum successiones. Nonnulla enim fragmenta Hermippum demonstrant sedulo collegisse, et sæpe ex operibus minime notis, permulta de magistris philosophorum ac discipulis, aut de doctrinarum origine, testimonia :

— Pythagoras dicebatur τὰς Ἰουδαίων καὶ Θρακῶν δόξας μιμούμενος καὶ μεταφέρων εἰς ἑαυτόν (fr. 21; cf. fr. 2; fr. 78, ap. D. L. I, 8, ubi citatur Hermippus ἐν τῷ πρώτῳ περὶ Μάγων, comprobat eumdem philosophiæ orientalis fuisse studiosum);

— φησὶν Ἕρμιππος λέγειν τινὰ τῶν συγγραφέων Πλάτωνα... ὠνήσασθαι Philolai librum παρὰ τῶν συγγενῶν τοῦ Φιλολάου... καὶ ἐντεῦθεν μεταγεγραφέναι τὸν Τίμαιον (fr. 25, ap. D. L. VIII, 85);

— Θεόφραστος Παρμενίδου φησὶ ζηλωτὴν Empedoclem γενέσθαι καὶ μιμητὴν ἐν τοῖς ποιήμασι..., Ἕρμιππος δ' οὐ Παρμενίδου, Ξενοφάνους δὲ γεγονέναι ζηλωτήν, ᾧ καὶ συνδιατρῖψαι καὶ μιμήσασθαι τὴν ἐποποιίαν, ὕστερον δὲ τοῖς Πυθαγορικοῖς ἐντυχεῖν (fr. 27, ap. D. L. VIII, 55-56);

— φησὶν Ἕρμιππος γραμματοδιδάσκαλον Epicurum γεγενῆσθαι, ἔπειτα μέντοι περιτυχόντα τοῖς Δημοκρίτου βιβλίοις ἐπὶ φιλοσοφίαν ᾆξαι (fr. 40, ap. D. L. X, 2);

— quintum testimonium, de Lysimacho, supra laudavimus.

Hermippum quidem harum rerum diligentem magis etiam patefaciunt fragmenta de rhetoribus : sex enim loca ex undeviginti (fr. 57, 58, 60, 61, 70, 71), præter capitum titulos supra exscriptos, nobis illius indicant studium verissime notandi rhetorum continuationem; contra quinque solum inter sex et triginta loca ad philoso-

phos pertinent ordinandos. Neque id mirum, quoniam fere dimidia pars fragmentorum de philosophis nihil aliud est atque fabellarum silva plerumque stultarum et incredibilium de philosophorum morte. Illæ autem fabellæ a Diogene Laertio transcriptæ fuerunt e nescio quo auctore (Favorino videlicet aut Magnete Demetrio), quem juverat collegisse et alias aliis opposuisse diversas Satyri, Hermippi, Timæi, aliorum, narrationes de morte sapientium et philosophorum; neque hanc præcipuam quasi tumulorum curam Hermippo tribuere æquum esset, quippe duo solum illius fragmenta aliquid narrant de rhetorum morte, peculiari certe memoria digna, Demosthenis dico et Hyperidis (fr. 62, 65).

Hermippus autem, qua utitur ratione, videtur fuisse credulus librorum helluo, minime subtilis in congerendis testimoniis, plerumque ἀκριβής, ut ait Dionysius Halicarnasseus (vide fr. 58), et certe, ut ait Josephus, ἐπιμελής (vide fr. 21), sed, ut ipse dicere non dubitavit de Demosthene, ἐπιμελὴς μᾶλλον ἢ εὐφυής (fr. 59), et cui neque ætas neque librorum pertractatio hanc judicii firmitatem dedere quam saltem Demosthenes φύσει habuerat. Delectabatur Hermippus commemoratione operum e quibus testimonia excerpebat, imprimis ignotorum, quasi ea se legisse gloriaretur: quod apparet e fragmento jam laudato de libris Philolai a Platone emptis ac transcriptis, et ex illis quoque fragmentis in quibus ab illo videmus commemorari et Patæcum (fr. 10), et Euanthem Samium (fr. 11), et Arcesilam (fr. 44, ap. D. L. V, 41), et Strœbum (fr. 94), et Pappum (fr. 62), nec non ἀδέσποτα ὑπομνήματα (fr. 60). Quum forte ausus est contra Callimachum magistrum sentire de Lysimacho, vel contra Demetrium Phalereum de Æschine rhetore Socratis et Platonis discipulo (fr. 71), sane utrobique freta ejus erat audacia certis litterarum monumentis, quorum alterum ignotum est, alterum haud dubie Lampsaceni Idomenei liber est Περὶ τῶν Σωκρατικῶν. Sic quoque, quum contra Theophrasti opinionem repugnat de Empedocle Parmenidis imitatore, Callimacho quidem poetam fuisse Parmenidem neganti satis consentit, sed vetere simul quodam de Alexandrina bibliotheca libro videlicet innititur, utpote qui, Theophrasto contrarius, ordinem temporum absurde turbet. Volebat autem Hermippus appellari peripateticus, si Hieronymo chronographo credimus; mirabilis quidem peripateticus ille, qui non solum inepte narrabat quomodo inchoatum esset Lycæum (fr. 41, ap. D. L. V, 2), sed ne integra quidem retinebat quæ a scholæ magistris didicerat!

Dionysius autem Halicarnasseus de Isæo ab Hermippo neglecto notavit quam ejus eruditio fuerit inconstans (fr. 58). Eum erroris coarguerunt et Favorinus, mediocris homo ingenii, de Socratis accusatore Polycrate (fr. 32, ap. D. L. II, 38; v. Cobetum, Mnemosyne, t. VII, 1858, p. 256 et 268), et, de Solone, Plutarchus, auctorem Didymum, ut videtur, secutus (fr. 11; v. H. Begeman, *Quæstiones Soloneæ*, Specimen I, Holzminden, 1875). Narrationes ejus pleræque de morte philosophorum commenticiæ sunt et nullius fidei; inter quas nonnullæ odiosa et absurda referunt crimina (v. fr. 48, ap. D. L. V, 91, de morte Heraclidis Pontici), aut scriptoris animum mire pusillum significant (v. fr. 50, ap. D. L. V, 78, de Demetrio Phalereo); reprehenditur a Cicerone (De Fin., II, 25) « ista in Græcorum levitate perversitas, qui maledictis insectantur eos a quibus de veritate dissentiunt »; at peripateticus noster ne illis quidem pepercit cum quibus consentiebat! Graviter etiam fabellas, inania dicta, mirabilia refert (v. fr. 5, 10, 12, 17, 21, 23, 53, 69). Satis probatum est Hermippo Solonis vitam scribenti auctorem fuisse imprimis Ephorum, cujus in vestigiis hæsit ille, cujuslibet alius auctoritatis fere incuriosus (H. Begeman, op. laud.); sane, eadem sæpe ratione usus, ita operam expediit quam susceperat. De stirpe Pythagoræ (fr. 22, ap. D. L. VIII, 1) Ed. Zellerus (*Die Philosophie der Griechen*, t. I, p. 271) censet illum habuisse melius comperta quam Aristoxenum, quia testimonio quodam Heracliti (ap. D. L. VIII, 6) comprobatur; quod vero casu sane factum est, nam Zellerus (op. laud., p. 256) eumdem existimat priores de Pythagora fabulas amplificasse (v. fr. 21 et 23, ap. D. L. VIII, 40), quas vulgaverant peripatetici Dicæarchus et Aristoxenus.

Nunc miror quod Cobetus (loc. laud.) contendit Hermippum non potuisse de Socratis accusatore errare: apud Laertium (II, 38) hæc leguntur: συνέγραψε τὸν λόγον Πολυκράτης ὁ σοφιστής, ὥς φησιν Ἕρμιππος; «fieri non potest, ait Cobetus, ut hoc Hermippus scripserit, homo perdoctus ac diligens, quem disertissimum Isocratis (in Busiride, 4) testimonium fugere non potuit, præsertim quum et de Isocrate et περὶ τῶν Ἰσοκράτους μαθητῶν accurate multa conscripserit. Commemoraverat, opinor, Hermippus alicubi Polycratis κατηγορίαν Σωκράτους, unde Diogenes, nullius judicii homo, collegit in ipso judicio habitam esse eum dicere. Itaque ὅτι συνέγραψε Πολυκράτης Σωκράτους κατηγορίαν verissime Hermippus memoriæ prodidit, sed eam aut a Meleto, aut a Polyeucto in Socratis judicio esse habitam Diogenis

error est, quales permultos commisit.» Nec non irridet idem Bentleium «quod Hermippum credidit, præclarum et eruditissimum auctorem, in eodem errore fuisse atque Quintilianum et Themistium.» At Hermippum scimus in multos alios errores assueta ingenii temeritate lapsum esse; sermonem illum Isocratis aut locum alium alius auctoris cujuslibet et inconsiderate potuit legere et perperam intelligere; Diogenes vero in manibus certo non habebat Hermippi scripturam, et e Favorino falsam Hermippi opinionem, sed simul emendatam, transcripsit.

Hermippi prorsus reliquiæ hominem ostendunt pusilli animi, pusilli ingenii, maledicendi studiosum, sine acumine, sine judicii subtilitate; manifestum faciunt eum nunc excriptorem imitatoremve historicorum illorum Isocrateorum, quos maxime delectabant et mirabilia et fabellæ et inania deverticula, nunc jacentem in pervolutandis et excerpendis omnigenis voluminibus, quorum ne ætatem quidem aliquando noverat, quibus autem persæpe minima fides debebat adhiberi, inter quæ dignoscere a bonis mala nesciebat. Καλλιμάχειος appellabatur, sicut et historicus Ister, qui servus fuerat Callimachi; Hermippo certe, si libera vitæ conditio, servilis animus erat. Ceterum sedulo ac multa diligentia varia congerebat testimonia, ita quidem dignus Callimachi discipulus. «Dubium vix est quin recte statuat Prellerus Hermippum hoc maxime egisse, ut ea quæ Callimachus magister paucis annotaverat, exponeret fusius, et quæ minus recte posita erant, definiret accuratius.» (C. Muellerus, ad frag. 46.)

Quod subtilius est quam Nietzschii judicium illud (Rh. M., 1869, p. 191), cui falso videtur Hermippus, in verba magistri jurare addictus, Callimachi vestigiis anxie institisse, id unum mutans, quod non ad litterarum, sed ad temporum ordinem homines ἐν παιδείᾳ διαλάμψαντας enumerabat. Quam opinionem paucis redarguere licebit:

Cum Nietzschio quidem et O. Schneidero (op. laud., p. 305) consentimus contra C. Muellerum (t. III, p. 35 sqq.), Hermippum operis sui finxisse titulum ad titulum operis Callimachei, et hunc titulum operi suo vere inscripsisse: Βίοι τῶν ἐν παιδείᾳ (aut ἐν πάσῃ παιδείᾳ) διαλαμψάντων (ut apparet e fr. 41 et 72 collatis). Sed illum distinxisse tot generales partes quot Callimachus distinxerat, artificiose statuit Nietzschius ac levibus argumentis: nam facilius est fingere fragmentum de Thucydide (fr. 54) excerptum fuisse ex

operis parte Βίοι τῶν ἱστορικῶν inscripta, quum Hermippus potuerit de Thucydide loqui, priorum rhetorum discipulo, in libris inscriptis Βίοι τῶν ῥητόρων; ita etiam parum difficile est fingere operis aliam partem Βίοι τῶν ποιητῶν inscriptam, quia apud Athenæum citatur Ἕρμιππος ὁ Σμυρναῖος ἐν τοῖς περὶ Ἱππώνακτος (fr. 74), quum tamen Smyrnæum Hermippum eumdem esse ac nostrum Callimacheum non liqueat; hic autem liber, si nostro tribuendus Hermippo, opusculum esse poterat quoddam separatum. Separata quoque sane erant opera Περὶ μάγων (duobus certe libris), Περὶ νομοθετῶν (octo certe libris), Περὶ τῶν ἑπτὰ σοφῶν (quatuor certe libris); ceterum illi antiqui νομοθεταί, inter quos Lycurgus et Triptolemus (fr. 3, 4, 5), longe abhorrent ab his νόμων jocosis scriptoribus quos recensebat Callimachus. Omnino de duabus solum liquet partibus operis Βίοι τῶν ἐν παιδείᾳ διαλαμψάντων inscripti, de partibus dico Βίοι τῶν ῥητόρων et Βίοι τῶν φιλοσόφων inscriptis; sed fere constat Hermippum, juxta magnum opus suum Callimacheum, alia minus ampla de vicinis argumentis scripsisse. Inter quæ ponendus liber Περὶ τῶν ἀπὸ φιλοσοφίας εἰς τυραννίδας καὶ δυναστείας μεθεστηκότων aut Περὶ τῶν ἀπὸ φιλοσοφίας εἰς δυναστείας μεταστάντων, si hos titulos in indicibus Academicorum et Stoïcorum herculanensibus recte suppleverunt Buechelerus et Comparettius, de qua re nobis dubitare licet, quamquam nonnulla Hermippi fragmenta ad hoc argumentum pertinent (fr. 22 a, 48, 52). Si Hermippus has de eadem materia eaque angusta narratiunculas collegit, scribere potuit et similem librum Περὶ τῶν ἐν παιδείᾳ διαπρεψάντων δούλων, quem Hermippi Berytii, Hadriano æqualis, esse dicit C. Muellerus, ea solum ratione fretus quod hunc Berytium fuisse servum compertum habemus. Hermippo Berytio Nauckius, miro quidem errore, quem egregie confutavit Nietzschius (p. 192), omnia Callimachei opera adscribebat; eidem C. Muellerus nimium etiam multa adscribit (t. III, p. 34, 51 sqq.), nempe cuncta opera quæ ordini operis Βίοι inscripti non possunt annumerari, ut librum Περὶ μάγων; jamne vero Muellerus huic Hadriani æquali librum tribuat, cujus mentio, Tito imperante, cineribus Vesuvii obruta est?

Ad calcem uniuscujusque vitæ Callimacheos operum indices *integros* Hermippum inseruisse Nietzschius (p. 193) asserit; — indices inseruisse Hermippum liquet, non ex omnibus testimoniis a Nietzschio collectis (p. 189), sed e duobus ultimis

tantum, quæ ad Theophrastum pertinent [1]; Callimacheos fuisse hos indices, non a discipulo retractatos, sicut et retractata erant philosophica philosophorum cognomina (meminimus enim fr. 46, de Lysimacho), non adducar ut credam : si res enim ita se habuisset, indici Theophrasteo Andronici Rhodii Theophrasteus index non opponeretur Hermippi, sed revera Callimachi.

Hactenus de Hermippo. Auctorem hunc descripsimus a quo prima fuit ad temporum ordinem scripta historia philosophorum, et a quo testimonia fuere congesta quibus imprimis usi sunt ii qui post illum scripsere διαδοχὰς τῶν φιλοσόφων; quibus Hermippum multa reliquisse quærenda et dijudicanda liquidum fecimus.

---

## CAPUT V

### De Callimachi et Hermippi æqualibus.

Jam quæstio est, an alii scriptores, ætate Callimachi et Hermippi, suscepta simili opera, sequentibus et ipsi facultatem præbuerint.

Paulo ante Hermippum scripserat Περὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν Neanthes Cyzicenus, Attali regis Pergameni familiaris, cujus et εὐχέρειαν Plutarchus notavit et fidem parvi faciendam jure opinatus est C. Muellerus (t. III, init.). De Periandro, Heraclito, Platone, Antisthene, Empedocle citatur a Laertio, de Pythagora et Pythagoreis a Porphyrio, Jamblicho, aliis. De Pythagoræ magistris, si non aliorum, tractabat, Pythagoram narrans Chaldæos Tyri, ubi natus erat, audivisse, deinceps Pherecydem et Hermodamantem Creophylium; quæ diserta testimonia aliis disertis miscebantur neque vero absimilibus, si non veris (fr. 30, ap. Porph., Pyth. vita, init.); haud aliter, quæ de Empedoclis magistro tradit, quamquam

(1) Quæ quidem C. Muellerus ignorabat.

Empedoclem crediderat Pythagoreæ scholæ arctius addictum quam fuerat, hominem demonstrant satis recto judicio utentem nec temere credulum : τίνος Pythagoreorum ἤκουσεν οὐκ εἶπε Neanthes : τὴν γὰρ περιφερομένην πρὸς Τηλαύγους ἐπιστολήν, ὅτι μετέσχεν Ἱππάσου καὶ Βροντίνου, μὴ εἶναι ἀξιόπιστον (fr. 20, ap. D. L. VIII, 55).

Hermippi ætate, Alexandriam venit ad aulam Ptolemæi Philopatoris Sphærus Stoïcus, Zenonis et Cleanthis discipulus. Stoïci quidem alii prioris ætatis usque ad Chrysippum quæstiones historicas videntur contempsisse, ut apparet ex eorum Laertianis indicibus librorum, in quibus doctrinæ, Aristotelico more, sive describebantur, sive confutabantur. Sphærus contra, qui sine dubio cum viris Alexandrinæ scholæ eruditis consuetudines fecit, philosophicæ eruditionis videtur fuisse paulo studiosiorem : cujus opus tres librorum Περὶ Λυκούργου καὶ Σωκράτους sane ad mores maxime spectabat et ad rerum civilium scientiam; sed ejusdem Περὶ τῶν Ἐρετρικῶν φιλοσόφων liber non poterat non multa perutilia de obscura illa schola continere.

Testamenta autem philosophorum, novi generis monumenta, in promptu habere historici sub idem tempus inceperant. Etenim post Platonem et Aristotelem, philosophicæ scholæ definita lege constitutæ sunt, quarum cuique sua sedes, quam jure possidebat, et magister qui successorem sæpius testamento designabat, studiorum regiminis heredem. Inde quasi authentici scholæ cujusque magistrorum indices, indicibus cujusdam sacrarii sacerdotum aut cujusdam urbis magistratuum similes, et quorum auctoritas e philosophorum testamentis manabat. Quibus e documentis collectis describere erat externæ quidem sectarum vitæ historiam, minime autem sententiarum et studiorum; quippe insignia nomina prætermitti necesse erat : neque enim Eudemus Lycæo præfuit, neque Metrodorus Epicuro successit (v. D. L. X, 23); ita igitur e certa cautionalium tabellarum auctoritate διαδοχάς componere, id erat historice potius quam philosophice philosophicam historiam tractare. Nihilominus ea congerere operæ pretium erat, ac nimium desiderantur in hac opera veteres : desunt enim in septimo Laertii libro Stoïcorum, in quarto Academicorum omnium post Platonem testamenta; nec tale

supplet monumentum epistola in qua Arcesilas amico scribit se ei suum mittere testamentum (D. L. IV, 44).

Sex solum supersunt testamenta, Diogenis Laertii cura descripta, Platonis dico, Epicuri, quatuor primorum Lycæi magistrorum, Aristotelis nempe, Theophrasti, Stratonis, Lyconis; quorum quidem monumentorum in duobus, Platonis dico et Aristotelis, nihil ad philosophicam pertinet hereditatem.

Quatuor peripateticorum testamenta verisimillimum est, ut et Nietzschio videtur (Rh. M., 1869, p. 209; cf. Bahnsch., p. 50), manare ex ἀπομνημονεύμασιν Aristonis Cei, qui Lyconi ipsi successerat, et qui videlicet opera sua paulo ante Hermippum scripserat : ita quasi stemmata sua pervulgaverat Aristo. Imo conjicio Aristonem in eodem opere de superiorum quatuor magistrorum vitis scripsisse, et, quod ipse tamquam fons primarius ab auctore posteriore adhibitus esset, ideo Peripateticorum διαδοχήν apud Laertium non ultra Lyconem continuatam fuisse, additis tantum Phalereo Demetrio et Pontico Heraclide, Aristotelis et Theophrasti discipulis (cf. Bahnsch., p. 47-48). Asserit quidem Laertius se stoïci Aristonis Chii (non Cei) ex opere Stratonis testamentum excerpsisse (D. L. V, 64); sed opera in hunc stoïcum primis indicibus collata pro peripatetico ejusdem nominis vindicaverant Panætius et Sosicrates (D. L. VII, 163). — Minime vero liquet, quamquam ita videtur Nietzschio, quatuor illa testamenta in opere Hermippi transcripta fuisse : ex Athenæi quidem loco (XIII, p. 589 c; Hermippi fr. 42, ap. Muellerum) plane intelligitur Hermippum Aristotelis testamentum novisse, quod tamen ab eo laudatum, non transcriptum esse ex eodem loco suspicor.

Epicuri autem testamentum libenter credam ex opere Hermarchi aliusve cujuslibet Epicurei excerptum fuisse, — quippe bene nota est Epicureorum erga suum ducem ac magistrum pietas, — nisi gratissima emendatione nostrum Aristonem peripateticum Cobetus restituisset paulo supra illius testamenti scripturam. Ipsa Laertii verba laudemus, quum in iis et apertissime loquentem et optimæ fidei auctorem de Epicuri magistris sese præbeat Aristo : Ἀρίστων δέ φησιν ἐν τῷ Ἐπικούρου βίῳ τὸν Κανόνα γράψαι αὐτὸν ἐκ τοῦ Ναυσιφάνους Τρίποδος, οὗ καὶ ἀκοῦσαί φησιν αὐτόν, ἀλλὰ καὶ Παμφίλου τοῦ Πλατωνικοῦ ἐν Σάμῳ· ἄρξασθαί τε φιλοσοφεῖν ἐτῶν ὑπάρχοντα δυοκαίδεκα, ἀφηγήσασθαι δὲ τῆς σχολῆς ἐτῶν ὄντα δύο πρὸς τοῖς τριάκοντα (X, 14).

Cujus operis de Epicuri vita, sicut et similis libri Aristonis Περὶ Ἡρακλείτου (D. L. IX, 5), in quo communis error de Heracliti morte

refellebatur, nulla est mentio in illo Aristonis indice (D. L. VII, 163) de quo paulo supra diximus. Forte non audacius erit suspicari Aristonem vitas et peripateticorum, et Heracliti, Epicuri, forsan aliorum, sive in Ὑπομνημονεύμασιν trium librorum, sive in Ὑπομνήμασιν quindecim librorum, vere historice, vere κριτικῶς, ceterum sine multo ordine, sicut par erat in hujusmodi tituli opere, tractavisse. Hujus præcipue ampli quindecim librorum commentarii pars quædam Epicuro, quædam Heraclito, alia Platoni, peripateticis prioribus alia, dedicari potuit. Quo in opere passim perscripta fuisse suspicor non solum quatuor peripateticorum, sed etiam Epicuri testamenta, nec non epistolam Epicuri morientis ad Idomeneum, quæ statim ejusdem testamento apud Laertium subjicitur : nempe inter Aristonis mentionem (§ 14) atque hæc duo Epicurea monumenta (§ 16-22), nihil aliud medium est nisi excerptum quoddam ex Apollodoro chronographo desumptum (§ 14-15), brevis deinceps ex Hermippo locus (§ 15-16), Laertii denique ipsius epigramma (§ 16). — Quod si ipsum Epicuri testamentum ab Aristonis opere manat, non aliunde manare Platonis quoque testamentum verisimile est. Sin autem desunt Speusippi illiusque in Academia successorum διαθῆκαι, id sane factum est quia Aristo illa, in privatis abdita tabulariis, reperire non potuerat.

Apparet igitur auctorem imprimis religiosum ac certum de philosophorum historia fuisse Aristonem Ceum, quem in manibus, ut videtur, habebant et Hermippus, et, post Hermippum, Sotio, qui eum de Heraclito laudabat (D. L. IX, 5). Nec minus apparet ab Aristone, Theophrasti et Aristotelis æmulo, studium historicæ indagationis, a Stratone et Lycone neglectæ, apud peripateticos instauratum esse.

---

## CAPUT VI

### De Διαδοχῶν scriptoribus. — Ceteris ætate priorem esse Sotionem.

His fere documentis et lineamentis usus est qui primus διαδοχὴν aut διαδοχὰς τῶν φιλοσόφων scribere instituit.

Quam materiam, titulo ipso propositum declarante, tractavisse feruntur quinque auctores a Laertio laudati :

1. Sotio,

2. Sosicrates,

3. Alexander,

4. Antisthenes,

5. Heraclides, Sarapionis filius, Lembus cognomine, cujus saltem opus nihil aliud erat quam ἐπιτομὴ τῶν Σωτίωνος διαδοχῶν.

Quibus subjungendi :

6. Nicias Nicæensis, ab Athenæo sexies laudatus ;

7. Jaso stoïcus, de quo apud unum Suidam mentio est, cujus ceterum e scriptis nihil tulit ætatem.

Titulus autem communis sex operibus Sotionis, Sosicratis, Alexandri, Antisthenis, Niciæ Nicæensis, Jasonis, videtur fuisse Διαδοχαὶ τῶν φιλοσόφων, non Διαδοχὴ τῶν φιλοσόφων. Utraque saltem mentio reperitur et apud Laertium et apud Athenæum, sed illa sæpius : Διαδοχαί Sotionis citantur quinquies (D. L. II, 74 ; V, 79, 86; VIII, 86; Athen. IV, p. 162 e), Sosicratis ter (D. L. VI, 13 ; VIII, 8; Athen. X, p. 422 c; vide C. Muellerum, t. IV, p. 501-503), Alexandri decies (ap. D. L.; v. C. Muellerum, t. III, p. 240 sqq.), Antisthenis novies (ap. D. L.; v. C. Muellerum, t. III, p. 182), Niciæ Nicæensis ter (ap. Athen.; v. C. Muellerum, t. IV, p. 464); similiter Jasonem scripsisse φιλοσόφων διαδοχάς Suidas asserit; — Διαδοχή vero Sotionis bis dicitur (D. L. Pr., 1; II, 12), Sosicratis bis (D. L. VI, 80; Athen. IV, 163 f), Alexandri, Antisthenis, Niciæ, Jasonis, nunquam. — Titulus autem Heraclidis absolutus semel apud Laertium reperitur : Ἐπιτομὴ τῶν Σωτίωνος διαδοχῶν (V, 79); alibi breviter dicitur Διαδοχὴ ἐν ἓξ βιβλίοις (V, 94). — Præterea, Nicias semel citatur ab Athenæo (IV, p. 162 e) ἐν τῇ περὶ τῶν φιλοσόφων ἱστορίᾳ; similiter Eunapius, initio Vitarum, Sotionem scripsisse ait τὴν φιλόσοφον ἱστορίαν; quæ vocabula sane idem significant ac vocabulum διαδοχαί, ita plane declaratum, quippe continua series magistrorum ac discipulorum dici potest ἱστορικώτερόν τι quam vitarum series, etiam ordine temporum evoluta. — Voces autem διάδοχος ac διαδοχή proprie dicuntur de regibus aut de magistratibus qui alii in aliorum locum sine ulla intermissione succedunt (1). Quæ etiam continuationi

(1) Inter alia exemplo sit titulus funebris Hermogenis medici (Inscr. Smyrnæenses, ap. Boeckhium, n° 3311 ; cujus commentario nonnihil addidit C. Muellerus, t. III, p. 523) : inter ejus opera historica, quorum marmori mentio inscripta est, memo-

hominum litteratorum aptæ sunt, si magistri doctrina sermone tradenda sit, quod sane fit in scholis philosophorum ac medicorum; sic enim citatur Σωρανὸς ἐν ταῖς τῶν ἰατρῶν διαδοχαῖς (schol. Oribasii, ap. C. Muellerum, t. III, p. 52); scribi quoque potuisset διαδοχὴ τῶν ῥητόρων, quam certe adumbraverat Hermippus; sed minime constat scriptas fuisse apud veteres διαδοχὰς τῶν ἱστορικῶν vel τῶν ποιητῶν; vix etiam potuerunt exstitisse, siquidem nullus fuit ullo tempore magister qui vi poetica discipulos afflaret; ars autem historica apud veteres minime docebatur, et inter græcos historicos, qui alii post alios tam multi exstitere, æmulabantur juniores prioribus, quos quidem legerant, non audierant.

Jam quo ordine illi διαδοχῶν scriptores alii alios exceperint exquirendum.

Sotio quis et qualis fuerit, qua ætate vixerit, parum constat, nisi quod eum Alexandrinum natione fuisse nos monet Athenæus (IV, p. 162 e). Alexandrini Sotionis alterum opus Περὶ τῶν Τίμωνος Σίλλων ab Athenæo memoratur (VIII, p. 336 d), qui titulus mire decet scriptorem nostrum philosophiæ historicum, quoniam Timo in Sillis philosophos omnes enumerabat et convitiis insectabatur; illud igitur de Timone commentarium complementum erat aut procemium alterius Sotionei operis Διαδοχαὶ τῶν φιλοσόφων inscripti. Utrumque opus aptissime convenit cum persona eruditi inter Alexandrinos viri, Callimacho et Hermippo æmulantis; liber vero de Sillis cum tali persona minus conveniat si Vossio consentiamus opinanti Sotionem sibi proposuisse obviam ire Timonis calumniis, quod ut parum verisimile est, ita nullis confirmatur indiciis. Longum contra et concertatorium opus, in XXIV libros divisum, cui titulus erat Διόκλειοι ἔλεγχοι, et in quo vituperabatur Epicurus (D. L. X, 3), profecto est pugnacis philosophi et doctrina freti, minime vero eruditi viri; ideoque Nietzschius recte contendit illud alterius cujusdam Sotionis esse (1), sive Sotionis illius Tiberio principi æqualis, Senecæ in philosophando præceptoris, stoïcæ

ratur Πίναξ Ῥωμαίων καὶ Σμυρναίων διαδοχὴ κατὰ χρόνους; quum autem Hermogenes ille, Charidemi filius, magistratibus eponymis in patria sua videatur annumerandus, viri docti recte conjecerunt πίνακα illum *successionem* eponymorum magistratuum ad tempora exactam atque digestam exhibuisse.

(1) Non ita bene comprobavit Nietzschius Dioclem illum a Sotione confutatum eumdem esse ac Dioclem Magnetem, unum e Diogenis Laertii auctoribus, imo auctorem præcipuum ac fere unicum, secundum Nietzschium.

doctrinæ aut potius sextianæ addicti, sive Sotionis cujusdam recentioris peripatetici a Simplicio Gellioque memorati (Rh. M., 1868, p. 638 sqq.; Progr., p. 9; — cf. et Vossium, et C. Muellerum, t. III, p. 168 not., et Bahnschium, p. 53). — Nostrum Sotionem et ipsum peripateticum fuisse Nietzschius asseruit (Rh. M., 1869, p. 205), infirma fretus ratiocinatione : quum compertum habeamus Hermippum Satyrumque a veteribus peripateticos habitos fuisse, Nietzschio placet omnes una Alexandrinæ scholæ eruditos viros, utpote peripateticos, opponere Pergamenis, utpote stoïcis plerisque.

Ætatem nostri Sotionis ex parte indicat quod de Timonis discipulis, Chrysippo fere æqualibus, nec non de ipso Chrysippo dixerit (vide infra cap. VIII), quem defunctum anno 208 ante Chr. n. satis constat; ex parte autem quod ejus de successionibus philosophorum librum in compendium redegerit Heraclides Lembus (de quo vide C. Muellerum, t. III, p. 167 sqq.), quo non juniorem fuisse Sotionem inde patet. Atqui dicitur Heraclides apud Suidam γεγονὼς ἐπὶ Πτολεμαίου τοῦ ἕκτου (id est Φιλομήτορος, 181-147). Natus quidem in Ægypto, ut apparet e patris nomine Sarapionis (1), in rebus publicis Ægypti maximum tenuisse locum videtur; scripsit opera de suo quædam, Ἱστορίας dico, longas et verbosas et farragine refertas, insuper Λεμβευτικὸν λόγον, unde cognomen accepit; præterea Sotionis διαδοχάς in arctum coegerat, otiandi sane causa (2).

Propter tituli similitudinem eidem Heraclidi tribuitur τῶν Σατύρου βίων ἐπιτομή a Laertio (VIII, 40; IX, 26) et ipsa bis laudata. Si Lembus Heraclides utriusque compendii auctor fuit, alterum videbitur composuisse ut alteri pro portione et materiæ similitudine responderet, et sane Sotionis Διαδοχαί Satyrique Βίοι duo erant fere ejusdem ætatis ac generis opera.

Satyrus autem (de quo vide C. Muellerum, t. III, p. 159 sqq.), et peripateticus et Aristarchi γνώριμος, quique Ζῆτα ἐκαλεῖτο διὰ τὸ ζητητικὸν αὐτοῦ, cujus denique doctrinæ fama ad Hieronymum

(1) In nomo quodam Ægypti natum Heraclidem tradit Suidas; Καλατιανὸς ἢ Ἀλεξανδρεὺς erat, secundum Demetrium Magnetem, ap. D. L. V, 94; Calatis ad Ponti oram oppidulum, colonia Heracleensium, erat; num nobis credendum hominem nomine Sarapionem in illis regionibus vitam degisse? Ceterum hic locus ita emendatus est : Καλακτῖνος (v. Nietzschium, Rh. M., 1870, p. 218).

(2) Bahnschio (p. 18-19) consentire nequeo contendenti Heraclidem non serviliter opera ampliora coarctavisse, sed multa mutavisse, multa Sotioni et Satyro addidisse; testem adhibet Bahnschius locum unicum (VIII, 53), de quo vide infra cap. IX

chronographum pervenerat, princeps conatus est, ut satis recte vidisse Nietzschius (Rh. M., 1869, p. 193) mihi videtur, κριτικώτατον Aristarcheæ scholæ ingenium intendere quum πινάκων, tum minimorum eventorum ad vitas pertinentium, probationi, constitutioni, narrationi (1).

Cujus quidem opus, latiore ratione dispositum, plura quam Hermippi comprehendebat, quippe ἐν τοῖς Βίοις (fr. 2, 11 sqq.) Satyri non solum erat de poetis, de rhetoribus, de septem Sapientibus, de philosophis, de mathematicis (v. Heraclidis Lembi fr. 17 ap. C. Muellerum), sed etiam de regibus et imperatoribus. Quam

(1) Hac in re tamen, ut mos est ejus, Nietzschius multa exstruit et male comperta pro certis affirmat. Ex eo uno quod asseruit Satyrus Diogenem cynicum nihil scripsisse (D. L. VI, 80) non satis apparet Satyrum continua ratione Callimachi et Hermippi πίνακας retractasse. Æqui judicii fines imprimis transgreditur Nietzschius quum asserit Satyrum scripsisse quasi ἀντιγραφὴν πρὸς Ἑρμίππου βίους, ἀκρισίας jure noxii; etenim a Satyro ducta testimonia plerumque apud Laertium ut contraria opponuntur rebus vulgo antea relatis, non vero semper Hermippi narrationibus, neque unquam ullus indicavit Satyrum contra Hermippum aut quemquam alium expresse aliquid protulisse. Quatuor in locis, inter quindecim omnino servata, non consentire cum Hermippo Satyrus apud Laertium dicitur, de morte Anaxagoræ, Pythagoræ, Zenonis Eleatæ (D. L. II, 12; VIII, 40; IX, 26), et de re quadam minima ad Platonem Philolai librorum emptorem spectante (D. L. III, 9; cf. VIII, 85); non profecto addimus illum etiam contra Hermippi opinionem repugnasse de Diogenis cynici operibus, nam ex una Nietzschii conjectura πίναξ Diogenis cynici, cujus ignoratur auctor, Hermippo adscriptus est. A Sotione quoque ter dissentit Satyrus (D. L. II, 12; VI, 80; VIII, 53), ab Hieronymo Rhodio semel (D. L. II, 12), semel ab Antisthene (D. L. IX, 26), ter ab incertis auctoribus (D. L. I, 68; II, 82, ubi bis citatur). In summa Satyrus videtur voluisse vero propior esse quam priores, Hermippus, Sotio, alii, non tamen eos aperte confutare. Quum testimonia religiosissime collegisse videatur (v. imprimis ap. C. Muellerum, t. IV, addenda, p. 660, locum de Diogene cynico ex Hieronymo chronographo desumptum), interdum quædam habet optime comperta et se præbet κριτικώτατον (v. D. L. VI, 80). Fabellas tamen operi suo miscuit, haud insulsas sane, sed parvi momenti (fr. 18 et 19, ex Athenæo), et post alios multos fabellam de Socrate duabus conjugibus simul conjuncto retulit (D. L. II, 26), quam posterius primus confutavit Panætius (v. C. Muellerum, t. II, p. 281). Nihilominus videtur Satyrus in plerisque melius quam Hermippus sensisse quid in historia verisimile sit. Bis quoque videmus eum egregiis auctoribus innixum, Phanodico (D. L. II, 82; quem Phanodicum non multo juniorem Aristotele conjecit Boeckhius; v. C. Muellerum, t. IV, p. 473), et Dicæarcho (D. L. VIII, 40); ter imo consentientem cum Sosicrate (D. L. I, 68; VI, 80; II, 12: cf. Plut., De ira cohib., II, p. 463 Witt., et Ælian. Var. Hist., III, 2), qui erat et ipse κριτικώτατος, si non de omni argumento, certe de librorum indicibus. Quod attinet ad locum ubi jungitur Satyrus Aristippo, auctori minima fide digno, ibi errorem latere suspicor, scilicet Satyrum et Aristippum dixisse quæ apud Laertium sequuntur, sed non eadem utrumque: hic Pausaniam amasium Empedoclis fuisse, ille Empedoclem Pausani uum poema dedicavisse, ut mihi videtur, dixerant (VIII, 60).

revera longus amplusque fuerit ille thesaurus, suspicari nequimus; quartum librum laudat Laertius (VI, 80), ubi de Diogene cynico res erat : utrum vero quartus de philosophis an quartus totius operis laudetur liber, incertum.

Constare solum videtur partem philosophis dedicatam cum Sotionis opere de proposito discrepavisse : quippe Satyrus, religiosissimo studio vitas describere satis habens, doctrinarum nexus explicare fastidiebat ; neque quidquam apparet contrarium e duobus Laertii locis in quibus invocatur Satyrus de Platone librorum pythagoreorum emptore (III, 9) et de Gorgia Empedoclis aliquandiu familiari (VIII, 58) : quæ mentio e vita Empedoclis a Satyro scripta, meo quidem judicio, excerpta est, quippe Gorgias non jam inter philosophos, Callimacho auctore, ut supra diximus (p. 23), numerabatur.

Ter Laertius eum producit a Sotione dissentientem : semel quidem de re aliqua inani (VIII, 53); iterum vero de Anaxagora insimulato Sotione verisimilior Satyrus est (II, 12); idem denique de operibus Diogeni Cynico attributis (VI, 80) Sotione κριτικώτερος. Ideo Sotionem par est credere ætate fuisse medium inter Hermippum ac Satyrum : videtur floruisse Hermippus, Callimachi discipulus, fere eodem tempore quo præfecti fuerunt Alexandrinæ bibliothecæ post Callimachum Eratosthenes (annis fere 235-194) et Apollonius Rhodius (annis 194-188), Sotio potius sub eodem Apollonio nec non sub Aristophane Byzantio (annis 188-173), Satyrus sub Aristarcho magistro (annis 173-145? 141?) (¹). Neque enim ponendus est Satyrus ætate magistro inferior, quia simul breviatore suo prior poneretur Heraclide, Ptolemæi Philometoris (181-147), id est Aristarchi, æquali.

Mirum est profecto æquales invenire magistrum, discipulum, discipuli breviatorem; quod tamen non omnino a vero abhorret : verbum enim γνώριμος, de Aristarchi et Satyri commercio dictum, ita accipi potest ut minime significet *adolescentem vetuli magistri auditorem*, sed idem valeat atque hujusmodi verba : *familiaris et æmulus alicujus doctrina, fama, auctoritate, honoribus longe præstantis, ætate saltem fere æqualis;* Heraclides autem Ptolemæo Philometori ac Satyro superfuisse potest, et Satyri Βίους post auctoris mortem in breve coegisse (cf. C. Muellerum, t. III, p. 159). — Nisi quis forte malit fingere Satyri opus in breve coactum esse ab obscuro quodam

(¹) De horum temporum notatione, vide Couat, *Annuaire*, etc., p. 104.

grammatico, cujus nomini supposuerit postea mendax librarius Heraclidem, notissimum Sotionis epitomes scriptorem : ad has vero ultimas angustias nos non redigi vidimus. — Credere malim eumdem scriptorem in compendia redegisse Satyri opus, ut et Sotionis, utrumque dignum ei visum quod vulgaretur; prius, quippe indagandi acumine, diligentia ac judicio eximium erat, alterum, utpote quod iisdem virtutibus, minoribus tamen, ornatum, consilio maxime successiones philosophorum a Satyro neglectas constituendi commendaretur; inde enim prius opus altero opere Aristarcheo non abrogatum erat nec in irritum ceciderat.

Hactenus de Sotione. Jam comprobandum omnes alios Διαδοχῶν scriptores illo ætate inferiores esse videri.

De Sosicrate nimium ambigitur. Hunc Rhodium nominant uno loco (II, 84) Laertii codices; verum Nietzschius (Rh. M., 1869, p. 187-188) felicissima emendatione (1) loci tenorem mutavit; ubi legebatur : οἱ δ' οὐδ' ὅλως γράψαι Aristippum opinantur, ὧν ἐστι καὶ Σωσικράτης ὁ Ῥόδιος · κατὰ δὲ Σωτίωνα ἐν β' καὶ Παναίτιον κτλ., legendum Nietzschius auctor est : καὶ Σωσικράτης καὶ Παναίτιος ὁ Ῥόδιος · κατὰ δὲ Σωτίωνα ἐν β' κτλ.; nisi enim ita sit hic locus emendatus, contra hoc dilucidum Laertii repugnet testimonium (II, 64), a Panætio Socraticorum dialogos ut spurios damnatos esse, exceptis Platonis, Xenophontis, aliorumque duorum, inter quos non est Aristippus. — Ita fere corrigendum, ut Nietzschius fecit, equidem censeo; sed notandum est lectionem : καὶ Σωσικράτης ὁ Ῥόδιος καὶ Παναίτιος, in illum locum et ipsam egregie cadere; Panætium imo nunquam Ῥόδιον a Laertio appellatum fuisse, quamquam ita a diversis scriptoribus appellatus est. Si Rhodius fuit Sosicrates, non mirabimur eum cum Panætio consentire (loco citato, nec non VII, 163) : ambo enim eidem scholæ Rhodiorum stoïcæ consociati fuerint; ut prior Περὶ αἱρέσεων scripserat (D. L. II, 87), sic alter Διαδοχὰς τῶν φιλοσόφων composuerat, munere ita dispertito philosophiæ historiam philosophice pertractandi.

Verumtamen Nietzschius, postquam Sosicratem patria ipsius Rhodo orbavit, censet eum in alteram restituendum, eumdem

(1) Infeliciter easdem ambages solvere tentaverat Bahnschius, p. 45 not.

arbitratus eum esse ac Sosicratem quemdam Alexandrinum, cujus mentio est inter Carneadis discipulos ([1]) in indice Academicorum herculanensi (Rh. M., 1869, p. 194; Buechelerus, p. 14 et 22).

Sive autem Rhodius fuit, sive Alexandrinus, Hermippum commemorabat Sosicrates (D. L. I, 106), Sotioni igitur æqualis certe, vel Sotione junior. Præterea, in investigatione veri homo diligens, neque pronioris ad credendum ingenii, in πινάκων severa recensione cum Satyro consentit ac Panætio (D. L., locis citatis, et VI, 80), quo ex indicio facile credas eum fuisse Aristarchi γνώριμον. Itaque existimare nequeo hunc eumdem esse atque Sosicratem illum qui Κρητικά scripserat, quod conjecit C. Muellerus (t. IV, p. 500); hic enim ab Apollodoro chronographo laudabatur; quod si idem auctor ab Apollodoro laudatus Hermippum et ipse laudaret, floruisset, ut ait C. Muellerus, sub Ptolemæo Epiphane (205-181), proxime Hermippum secutus, et Sotione paulo prior; atqui valde est utroque κριτικώτερος; utroque igitur haud paulo ætate inferior habendus est, ac verisimile est eum eodem tempore vixisse quo ille qui Athenis post Carneadem scholæ præfuit academicæ annis fere 129-100, Clitomachum dico; quæ quidem est Nietzschii sententia. Non autem in aliud tempus transferendus est Sosicrates, si vere fuit, non Alexandrinus, Carneadis auditor et Clitomachi condiscipulus, sed Rhodius stoïcus, Panætii æmulus et fere æqualis ([2]). Ceterum Aristarchi doctrinam viguisse etiam apud stoïcam Rhodi scholam patet e testimonio jam infra nobis laudando.

Jasonem Sosicrate juniorem fuisse apparet e Suida : Ἰάσων Μενεκράτους Νυσάευς ἐκ πατρός, ἀπὸ δὲ μητρὸς Ῥόδιος, φιλόσοφος, ... διάδοχος τῆς ἐν Ῥόδῳ διατριβῆς Ποσειδωνίου τοῦ φιλοσόφου. Ad quæ C. Muellerus (ad calcem Arriani, p. 159) : « Menecrates, pater Jasonis, procul dubio est Aristarchi discipulus quem inter claros Nysæenses recenset Strabo (XIV, p. 650). » Anno 50 Posidonius obiit. Æqualem igitur Ciceronis Jasonem fuisse liquet.

(1) Sic, non inter Aristonis Alexandrini discipulos, quod scribens Nietzschius errasse mihi videtur.

(2) E Laertio, I, 68, noli conjicere sive a Pamphila, quæ Neronis temporibus vigebat, Sosicratem, sive a Sosicrate Pamphilam commemorari; hæc enim verba : ὥς φησι Σωσικράτης, pravissime quidem exstructa, potius intelligenda sunt tamquam si simpliciter ita scriptum esset : φησὶ Σωσικράτης.

Alexander ille qui Διαδοχὰς τῶν φιλοσόφων scripsit idem est atque Alexander Milesius quem Polyhistorem vocare consuerunt veteres; quod fere omnes ante Nietzschium conjecerant, manifestum Nietzschius fecit (Rh. M., 1869, p. 206), allato Cyrilli loco, qui C. Muellerum et ceteros fugerat. Luculenta quidem disceptatione C. Muellerus (t. III, p. 206) comprobavit Alexandrum, advectum Romam servum et præceptorem Cornelii Lentuli, dein manumissum et a Sylla civitate donatum, floruisse Romæ intra annos 82-60; alioquin quando natus erit, quando obierit, nihil significat. Sane nexu quodam cohærebat cum schola Cratetis Pergameni, stoïci, Aristarcho æqualis; nec tamen Cratetis fuit auditor, quippe contra repugnat ordo temporum (v. C. Muellerum, de Suidæ testimonio). Reperire autem apud Laertium indicia de Alexandro stoïcæ disciplinæ addicto usitata sua solertia nisus est Nietzschius, cujus argumenta durius detorta fidem facere nequeunt (v. infra p. 46-47).

De Antisthene quæstio valde obscura est. Nietzschius autem (p. 203 sqq.) satis comprobat eum fuisse Demetrio Magneti ignotum: erat igitur Antisthenes Demetrio saltem æqualis, aut potius ætate illo inferior; vigebat autem Demetrius Magnes post Demetrium Scepcium (v. D. L. IV, 84), qui anno 70 ante Chr. n. obiit, idem ante Dionysium Halicarnasseum, Augusti Cæsaris æqualem (v. Nietz., p. 182); alioquin eum in *Bruto* inter suos rhetoricæ præceptores Cicero numeravit (cf. Ad Att. IV, 10). Ceterum Antisthenes quidam peripateticus, qui scripserat de mirabilibus, inque iis de pyramidibus, inter Alexandrum Polyhistorem et Apionem, Tiberii Cæsaris æqualem, ordinandus est (Nietz., p. 204); nostrum tenemus Antisthenem, si Nietzschio credere æquum est; certe non iniquum est; ergo credamus, quum nihil sit quo ei repugnemus (1). Imo, Antisthenem nostrum peripateticum fuisse facile credam e duobus quæ infra citabuntur fragmentis (v. p. 43-44), ut qui hinc Theophrastum, illinc Aristotelem, auctores adhibuerit.

(1) « E Laertio, VI, 77, demonstrari possit eum fuisse stoïcis infensum, » ergo academicum; sic Nietzschius, p. 205. — In hoc Laertiano loco, ubi Diogenis cynici mors narratur, Antisthenes se minime benevolum præbet cynicis Diogenis discipulis. Satyri autem de eadem re narratio (ap. C. Muellerum, t. IV, p. 660) humanior est: ergo stoïcus fuerit Satyrus, si Nietzschii instar argumentari velimus; peripateticus autem erat! peripateticus quoque Hermippus, qui de peripateticis maledixit! Abutitur quidem Nietzschius hac vulgata sententia: amicorum nostrorum ut amicos amamus, ita odimus inimicos; profecto licebat in stoïca schola cynicos interdum irridere.

His collectis quæ comperta vel conjectata habemus, in hunc ferme modum continuo succedere alii aliis videntur sex illi, quos diximus, Διαδοχῶν scriptores :

— Sotio circa annos 200-175 scripserat;

— Heraclides Lembus circa annos 175-140 Sotionis opus in compendium redegit;

— Sosicrates autem circa annos 125-100 scripsit;

— Alexander, circa annos 82-50;

— Jaso, post annum 50, vel paulo ante;

— Antisthenes, Dionysii Halicarnassei temporibus, id est Augusti Cæsaris, quem ab anno ante Chr. n. 28 ad annum post Chr. n. 14 reipublicæ præfuisse constat.

Superest unus scriptor, cujus incerta sunt tempora, Niciam dico Nicæensem ab uno memoratum Athenæo [1]. Hunc sordes narrare et maledicum agere juvabat, quod quidem apud Græcos cujuslibet ætatis vitium est commune; quamquam idem fuit dialogicæ sermonis formæ primum inventæ non imperitus (Ath., XI, p. 505 b; v. cap. VIII, Sotionis reliquias), ac de auctoritate nonnullorum Platonis dialogorum judex non ἄκριτος (Ath., XI, p. 506 c); unde fit ut Hermippum ætate consecutus videatur. Bis autem simul cum Sotione laudatus est (Ath., IV, p. 162 e; XI, p. 505 b), unde licet suspicari Sotionem auctorem in his locis ab ipso Nicia fuisse laudatum. Præterea aliquid narrabat Nicias (Ath. VI, p. 273 d) de Istiæo quodam Pontico quem sub Ptolemæo VII (146-117) vixisse satis constat (v. Jonsium, IV, 39). Floruisse igitur Niciam post hunc Istiæum, ante Athenæum, liquet, id est sive ante Chr. n. primo sæculo, sive post Chr. n. vel primo vel secundo; quo certius nihil est quod possimus suspicari.

(1) In fragmentis Niciæ colligendis C. Muellerus (t. IV, p. 464) fabellam omisit de Persæo, Zenonis familiari: Athen., IV, p. 162 e.

## CAPUT VII

### De Sosicrate, Alexandro, Antisthene, aliis. — Horum διαδοχάς non secutum esse Laertium.

Jam ad quæstionem transeamus in re nostra præcipuam, ut perpendamus an critici inde a Sotione, sive Alexandrini, sive alius familiæ, græcorum philosophorum successiones sagaciter instituerint, an Laertio vel ejus proximis auctoribus, opera sua disponentibus, certas philosophos ordinandi rationes, simul de magistris ac discipulis fide digna testimonia, tradere valuerint illi quos enumeravimus Διαδοχῶν scriptores. Qua cum priore quæstione altera conjungenda est : si ex his scriptoribus aliquis plus quam ceteri materiæ suppeditaverit huic ordini philosophorum satis mirabili quem hinc in Laertii proœmio propositum, illinc in ipso operis corpore evolutum legimus, eum scriptorem quis tandem fuerit quæramus necesse est. Duæ autem illæ quæstiones, rerum natura connexæ, simul nobis erunt tractandæ.

Ante omnia Jasonem excipiamus, cujus ex opere nihil præter titulum ætatem tulit, cujusque vel memoria cito videtur esse jure an secus obliterata. Jasonis quidem librum inter volumina Herculanensia repertum esse Nietzschius crediderat (Rh. M., 1869, p. 207-208); jam vero Comparettius certioribus fultus indiciis verum Herculanensis fragmenti auctorem esse Philodemum demonstravit (v. infra, cap. IX).

Ceterorum omnium supersunt fragmenta, quorum tamen permulta ad successionem philosophorum minime pertinent. Scilicet horum temporum scriptores, propositi argumenti parum tenaces, ad res a titulo plus minus alienas longe evagari quavis occasione solebant. Ut quidem Nicias Nicæensis bis ab Athenæo citatur de rebus ad historiam litterarum pertinentibus, quinquies de fabulis aut stultis aut etiam obscenis, nunquam de historica serie philosophorum, ita ut omnino ignoremus quomodo suum ipse propositum

Nicias secutus sit. Ceterum eo non usus fuisse Laertius videtur, cujus nullam fecit mentionem.

Antisthenem Laertius undecies citavit, ita tamen ut quatuor tantum locis ad successiones philosophorum testimonia ejus possimus referre. Qui quidem in testimoniis de vita philosophorum vir sagacis ingenii nec mediocris eruditionis videtur fuisse. Idem de illo opinamur e locis ad successiones pertinentibus. Hoc vero maxime notandum est, Laertium Antisthenis opinionem quasi transeundo inserere neque illius auctoritate usum esse ad disponenda totius philosophiæ græcæ stemmata. Habes infra ipsius Laertii scripturam :

1. Theodorus atheus ἤκουσε καὶ Ἀννικέριδος καὶ Διονυσίου τοῦ διαλεκτικοῦ, καθά φησιν Ἀντισθένης ἐν φιλοσόφων διαδοχαῖς (II, 98). Supra autem Laertius ex anonymo quodam referens successionem totam Cyrenaïcorum, Theodorum fecerat Aristippi Metrodidacti discipulum (II, 86).

2. Diogenes Apolloniates ἤκουσε, ὥς φησιν Ἀντισθένης, Ἀναξιμένους (1); forsitan fluxerunt etiam ab Antisthene quæ sequuntur : ἦν δὲ τοῖς χρόνοις κατ' Ἀναξαγόραν. Si tantum suspicamur Antisthenis testimonium a Laertio stulte fuisse contractum, ut revera dixerit Apolloniatam Diogenem, Anaxagoræ æqualem, se ad Anaximenis doctrinam antiquiorem conformavisse, jam patrem habemus Antisthenem hujus opinionis ad quam adducti sunt recentissimi philosophiæ græcæ historici qui de originibus Apolloniatæ Diogenis doctrinæ, difficillima quæstione, scripserunt; utcumque, Diogenem Anaximenis familiæ quum annumerat, ut Aristotelem (v. supra p. 8) forsan sequitur, qui Anaximeni Diogenem subjungit, ita veritati Antisthenes propior est quam Theophrastus, qui Leucippi et Anaxagoræ familiis eumdem adscripserat (v. supra p. 13). — Istam autem Antisthenis εὐστοχίαν Laertius prorsus negligit, quoniam medium collocat Apolloniatam inter Abderitas Protagoram et Anaxarchum, Democriti, si ei credere liceret, discipulos.

3. Hisce duobus locis tertium conjectura nobis liceat addere. Postquam Heracliti μεγαλοφροσύνης signum, Antisthenem auctorem denuntians, breviter exhibuit, ita pergit Laertius : τοσαύτην δὲ δόξαν ἔσχε τὸ σύγγραμμα ὡς καὶ αἱρετιστὰς ἀπ' αὐτοῦ γενέσθαι τοὺς κληθέντας

(1) Hunc locum omisit C. Muellerus, t. III, p. 182.

Ηρακλειτείους (IX, 6). Cui continuo subjungitur expositio dogmatum non Heracliteorum, sed ipsius Heracliti. Non absurdum sit opinari etiam quæ de Heracliti sectatoribus hic dicta sunt ex Antisthene fuisse deprompta, nec non ab Antisthene adhibita esse Aristotelis de iisdem et de Cratylo testimonia (v. supra p. 9). — Laertius autem non ordine certo Heraclitum posuit, sed extra ordinem : cui nempe hic et Xenophanes οἱ σποράδην philosophi videntur (VIII, 91; IX, 20), quum sine magistris, tum sine discipulis. Hoc etiam in loco verba Antisthenis in transitu exscripsisse Laertius videbitur, ejus auctoritate non usus in compositione totius operis. — Porro de Heracliteis, ut de Diogene Apolloniata, Laertius minus caute judicavit, quum Antisthenes magnam Aristotelis auctoritatem sequeretur, neglectam illam a scriptoribus quos duces prætulit Laertius.

4. Φησὶ δὲ Δημήτριος ἐν Ὁμωνύμοις καὶ Ἀντισθένης ἐν Διαδοχαῖς ἀποδημῆσαι Democritum καὶ εἰς Αἴγυπτον πρὸς τοὺς ἱερέας γεωμετρίαν μαθησόμενον καὶ πρὸς Χαλδαίους καὶ εἰς τὴν Περσίδα καὶ εἰς τὴν Ἐρυθρὰν θάλασσαν γενέσθαι (IX, 35). Democritum Asiam et Ægyptum peragravisse vulgo apud veteres credebatur, neque id quidem repugnat plurimorum testimoniis qui confirmant Democritum doctrinæ de atomis initia a Leucippo accepisse. Ex hoc igitur loco non continuo apparet Antisthenem Democritum a Leucippo sejunxisse, ita Aristoteli (v. supra p. 9) ceterisque repugnasse, Epicurum unum (v. supra p. 19) secutum esse.

Sosicrates quomodo series philosophorum disposuerit plane ignoramus. De Cynicis vel in primo libro (D. L. II, 84), de Pythagoreis in tertio (D. L. VI, 13), ut videtur, scripserat (1); quibus indiciis opus satis exiguum suspicitur. Quatuordecim ejus exstant apud Laertium, duæ autem apud Athenæum, commemorationes, quarum novem, de moribus ac vita Sapientium et Pythagoræ, minimi sunt momenti, nisi quum de temporibus eorum et stirpe res agitur; minimi etiam momenti est dictum quoddam cynici Cratetis, quod Athenæus (X, p. 422 c) a Sosicrate sumpsit; ter autem apud Laertium Sosicrates affertur improbans ut spuria

(1) De Aspendio Diodoro narrabat Pythagoreos potius tractans quam Cynicos; ideo nihil opus est locum de Diogenis libris (II, 84) ita emendare: ἐν τῷ τρίτῳ, sicut voluit C. Muellerus, t. IV, p. 503, pro ἐν τῷ πρώτῳ.

Diogeni cynico, Aristippo, Aristoni stoïco in primis catalogis tributa opera (II, 84; VI, 80; VII, 163). Supersunt duo loca :

1. In priore dicitur, Sosicratis auctoritate allata, Diodorum Aspendium pythagoreum (de quo v. Jambl., Pyth. vita, 266) ante cynicos cynicorum habitum publice exhibuisse (D. L. VI, 13; cf. Athen., IV, p. 163 f); — quem usum horridulæ vestis à Diodoro primo monstratum oculis fuisse potius quam cynicis traditum esse Sosicrates haud dubie significat.

2. Alter locus initium est cynici Monimi vitæ: Μόνιμος Συρακόσιος, μαθητὴς μὲν Διογένους, οἰκέτης δέ τινος τραπεζίτου Κορινθίου, καθά φησι Σωσικράτης (VI, 82) (1). Non plane constat verba : μαθητὴς μὲν Διογένους, e Sosicrate sicut et sequentia fluere; quæ si ita sint, notandum est Laertium hac in re Sosicrate uti videri, quamvis, ut ipse fatetur, alii Cratetem Monimi magistrum fuisse affirment; parvi autem referebat hanc successionem definire.

De Alexandri Polyhistoris Διαδοχαῖς paulo minus ignari sumus. Videtur hoc opus interdum περὶ δοξῶν fuisse; nempe ab illo Laertius longam hanc pythagorearum doctrinarum expositionem mutuatur (VIII, 26-36), in qua componenda patet scripta quædam subdititia Alexandrum frustrata esse, quæ neo-pythagoreis hujus temporis tribuenda sunt (v. Ed. Zellerum, t. I, p. 256). Videtur quoque ejus testimonio fidem vulgo fuisse adhibitam de singulorum parentibus ac patria philosophorum; ter enim de istiusmodi rebus citatur (II, 106; IV, 62; VII, 179). Adde duas narratiunculas, quarum una de nominibus Platonis est, altera de duobus hortis ubi Plato docuerat (III, 4, 5). Supersunt tantum fragmenta tria quæ ad argumentum operis proprium pertinere videantur; specie tamen, non re, ad hoc argumentum pertinere tertium horum fragmentorum jam ostendemus; primum contra non mediocris est momenti.

1. Πύρρων Ἠλεῖος... · ὥς φησι δ' Ἀπολλόδωρος ἐν Χρονικοῖς, πρότερον ἦν ζωγράφος, καὶ ἤκουσε Βρύσωνος τοῦ Στίλπωνος, ὡς Ἀλέξανδρος ἐν Διαδοχαῖς, εἶτ' Ἀναξάρχου συνακολουθῶν πανταχοῦ κτλ. (IX, 61) (2). Bryso ille, Stilponis potius discipulus quam filius (3), verisimiliter idem

(1) Hic locus lapsu omissus est in indicibus Laertii, nec non a C. Muellero.

(2) Hunc locum, in indicibus Laertii omissum, omisit et C. Muellerus.

(3) Legendum esse Βρύσωνος ἢ Στίλπωνος, ὡς κτλ. Nietzschius est auctor (Rh. M., 1870, p. 223); — gratuitam et inutilem hanc emendationem censeo. Ceterum de Brysone Nietzschius accuratissime disseruit.

est atque Bryso Achæus (aut Achæi filius), quem Hippobotus, non Diogenem, Cratetis cynici magistrum faciebat (D. L. VI, 85; cf. Pr., 11). — At, ut Diogenem Cratetis, ita Pyrrhonis Anaxarchum Laertius magistros fecit; nam Pyrrhonis vita Anaxarchi vitæ continuo subjungitur. Ergo non Alexandrum de scepticæ sectæ origine secutus est. Quem forsan rectius esset secutus : scepticorum equidem doctrinam a Megarensium quam a Democriti disciplina defluxisse facilius mihi persuadeo. Utcumque famam in hac re minime spernendam sequebatur Alexander.

2. Socrates, ἀκούσας Ἀναξαγόρου κατά τινας, ἀλλὰ καὶ Δάμωνος, ὡς Ἀλέξανδρος ἐν Διαδοχαῖς, μετὰ τὴν ἐκείνου καταδίκην διήκουσεν Ἀρχελάου τοῦ φυσικοῦ (II, 19). Alexandrum veluti transeundo citatum fuisse manifestum est; turbat enim sermonis tenorem mentio Damonis. Haud aliter citatur Alexander in tribus locis de parentibus aut patria Euclidis, Carneadis, Chrysippi, quos infra describere pretium est operæ :

— Εὐκλείδης ἀπὸ Μεγάρων τῶν πρὸς Ἰσθμῷ, ἢ Γελῷος κατ' ἐνίους, ὥς φησιν Ἀλέξανδρος ἐν Διαδοχαῖς (II, 106);

— Καρνεάδης Ἐπικώμου, ἢ Φιλοκώμου, ὡς Ἀλέξανδρος ἐν Διαδοχαῖς (IV, 62);

— Χρύσιππος Ἀπολλωνίου Σολεύς, ἢ Ταρσεύς, ὡς Ἀλέξανδρος ἐν Διαδοχαῖς, μαθητὴς Κλεάνθους (VII, 179).

3. Inde manifesto apparet quomodo explicare debeamus hunc locum qui, sicut tres supra laudati, capituli initium est : Φερεκύδης Βάβυος Σύριος, καθά φησιν Ἀλέξανδρος ἐν Διαδοχαῖς, Πιττακοῦ διακήκοε (I, 116). Non de Pittaci auditore Pherecyde, sed de Pherecyde Syrio, forsan et Babyos filio, laudatur Alexander, qui in hoc nihil aliud quam Andronem Ephesium (ap. D. L. I, 119) descripserat.

Miremur jam Nietzchii (Rh. M., 1869, p. 205) uberius ingenium, qui ex hoc loco concludit voluisse Alexandrum διαδοχάς suas ἀντιγραφὴν πρὸς Σωτίωνος διαδοχάς esse! Nempe, ut ait, Alexander, Cratetis stoïci discipulus, certo infensus erat Sotioni peripatetico et Pergamenus Alexandrino; atqui Sotio, parcus patriæ, quamvis Græcus, laudator, græcæ philosophiæ originem a barbaris repetiverat (v. infra cap. VIII), et præceptorem Pythagoræ Pherecydem Syrium fuisse statuerat; Alexander vero, perdoctus homo, sed etiam acutior, ipsum Pherecydem « audivisse Pittacum, id est Græcum », asseruit, quo uno asserto patriæ laudem redintegravit, philosophiam græcam αὐτοδιδάκτως natam confirmans; denique,

quum in procemio Laertii initia philosophiæ a Græcis, quamquam infirmis argumentis, repetantur, constat hoc procemium ex Alexandro oblique haustum esse.

Magna autem est copia argumentorum quibus Nietzchio adversemur [1] : 1° Cratetis non fuerat discipulus Alexander (v. supra p. 40); — 2° an philosophicis quibusdam dogmatibus crediderit, et quibus, plane ignoramus; — 3° Sotionem quoque peripateticum fuisse procul dubio oscitans excogitavit Nietzchius, nusquam legit; — 4° Pherecydis doctrinam non omnino hellenicam dicere, somniantis est; sane et legerat et scripsit Nietzschius « *Pherecydem Syrium* », alucinans *Syrum* intellexit; — 5° Pherecydis amicum et familiarem fuisse Pythagoram, Sotionem dixisse nusquam legitur; quod si dixerit, opinionem secutus est communem jamdiu ab Androne Ephesio (loc. cit.) vulgatam; — 6° non Alexander, sed incertus auctor, Pherecydi Pittacum adscripserat magistrum.

Quid plura? de consilio et fine operis Alexandri nihil prorsus compertum habemus; de lineamentis autem summis novimus hoc tantum, scepticos a Megarensibus, Alexandro judice, pendere. — Novimus quoque illum asserere aliorum et Damonis auditorem fuisse Socratem; ex quo inferre possem ab Alexandro Socratem Pythagoreorum discipulum dictum esse, et hanc scholam, utpote aliarum magistram, adamatam esse; quod quidem, Nietzschio cautior, nolim opinari : sane legerat Alexander Platonis Rempublicam (p. 400 b) et Lachetem (p. 180 d, 197 d), ubi Damo quasi Socratis familiaris, potius quam magister, commemoratur (v. Bahnsch., p. 6); nihil ultra recti judicii criticus confirmabit.

Ad summam, ea quæ Laertius (aut ille quem proximum habuit auctorem) aperte mutuatus est a διαδοχῶν, præter Sotionem, scriptoribus, quinquies aut septies demum discipulis certos magistros adsignant; qua vero cognationis significatione nusquam usus est in ordinanda operis sui materia, nisi forsan quo loco tria hæc verba exaravit : Μόνιμος, μαθητὴς Διογένους.

(1) Nietzschio tamen non objiciemus Laertii locum (III, 5) de Platone in horto philosophante, ὥς φησιν 'Αλέξανδρος ἐν Διαδοχαῖς καθ' Ἡράκλειτον, ubi legendum esse καθ' Ἡρακλείδην, ut perspicuum est, Cobetum non perspexisse miramur : si hic Heraclides Lembus erat, Sotionis epitomem laudavisse Alexandrum, nedum Sotioni repugnaret, notandum esset; at probabilius mihi videtur Heraclidis Pontici, Speusippi auditoris, auctoritatem ab Alexandro allatam esse.

## CAPUT VIII

### De Sotione, præcipuo Laertii fonte.

Jam redeamus ad Sotionem a quo non separandus ipsius breviator Heraclides Lembus. De illo quod asserturi sumus, specie quidem παράδοξον, speramus tamen aliquando demonstratum iri : Sotionem, etsi inter scriptores Διαδοχῶν antiquissimus sit, Laertio plus materiæ quam ceteros omnes præbuisse, imo successionis quam assumpserit sibi Laertius a Sotione ducta esse lineamenta. Qua autem via, profecto minime recta [1], ad eum pervenerit Sotionis de hoc argumento doctrina, non equidem curo; utcumque, doctrinam hanc semel acceptam secutus est, ad quam ejus libri dispositio est accommodata.

Sotionis opus de successionibus undeviginti locis citavit Laertius, ter Athenæus, semel Sextus Empiricus; præterea, inter Heraclidis locos apud Laertium citatos, ferme duodecim verisimiliter ex epitome Sotionis excerpti sunt [2], quos prioribus decet addere; ita ut omnino plus quam triginta fragmenta teneamus; quibus paulum immorabimur, quum ea non collegerit C. Muellerus. Pertinent

(1) Sotionis volumina Diogenem in manibus non habuisse jure Bahnschius, p. 18, opinatus est.

(2) Eget emendatione, quam parum accurate fecit C. Muellerus, fragmentorum Heraclidis Lembi inter Epitomen Satyri et Sotionis Epitomen partitio. Illi certo vindicamus fragmentum 17, Sotionis epitomes reliquiis temere adscriptum. Contra, fragmentorum sub numero 6 nescio quo pacto coactorum certas partes Sotionis, non Satyri, compendio tribuere licet aut decet. — Et loca nonnulla C. Muellerus omisit : sic de Menedemo (fr. 15) quatuor sunt apud Laertium Heraclidis mentiones, quarum duas (II, 135, 144) lapsu prætermisit; — de loco altero (III, 5), a Muellero etiam neglecto, sed Pontico Heraclidi potius adscribendo, in notula supra (p. 47) diximus. — Pontici hujus dialogo cuidam rectius adscribendum censeo Laertii locum de Atheniensibus erga illustres viros parum gratis (II, 43), quem Lembo adscripsit (fr. 13) Muellerus. — In Pythagoræ et Empedoclis vitis duorum Heraclidum testimonia permixta afferuntur; scriptor autem quem Laertius excerpsit manifesto curaverat ut ii duo semper discerni possent (cf. Bahnsch., p. 19) vel titulis operum vel cognominibus (ὁ Ποντικός, ὁ τοῦ Σαραπίωνος); in uno tantum loco dubitari potest, cum dicimus locum (VIII, 52) de ætate quam assecutus est Empedocles; in quo Cobetus legit : ἔτι δ' Ἡρακλείδης, Bahnschius (p. 7): ἔτι δ' Ἡράκλειτον; hanc autem scripturam vere desperatam alii peritiores extricabunt.

quidem illa ad argumenta diversa, neque tantum ad philosophorum successiones : patet vitas et πίνακας in opere Sotioneo magnam partem obtinuisse; itaque Eunapium, qui id in manibus non habuisse, fama tantum novisse non mediocri ([1]) videtur, non mirabimur dicentem et φιλόσοφον ἱστορίαν (id est διαδοχάς) et τοὺς τῶν φιλοσόφων ἀνδρῶν βίους a Sotione fuisse explicata.

Reliquias illarum Διαδοχῶν ita licebit disponere :

I. — Πίνακες.

1. D. L. VIII, 7. — Ἡρακλείδης ὁ τοῦ Σαραπίωνος ἐν τῇ Σωτίωνος ἐπιτομῇ : Pythagoræ πίναξ, qui testatur ingenium in ardua quæstione non prorsus ἄκριτον.

2. D. L. VIII, 58. — Ἡρακλείδης ὁ τοῦ Σαραπίωνος ἑτέρου φησὶν εἶναι τὰς τραγῳδίας Empedocli tributas.

3. D. L. II, 85. — Σωτίων ἐν δευτέρῳ καὶ Παναίτιος : Aristippi πίναξ.

4. D. L. VI, 80. — Σωτίων ἐν τῷ ἑβδόμῳ : Diogenis cynici πίναξ.

5. Ath. XI, p. 505 b. — Νικίας Νικαεὺς καὶ Σωτίων : ante Socratem dialogum sermonis formam invenerat Alexamenes Teius. — Hoc autem ante illos notaverat Aristoteles in dialogo Περὶ ποιητῶν (Ath., loc. cit.; D. L. III, 48; v. Bahnsch., p. 18).

In conficiendis indicibus Sotionem fuisse simul et antecessoribus suis severiorem et Satyro, Panætio, Sosicrate faciliorem, bene vidit Nietzschius (Rh. M., 1869, p. 187-188, 193).

II. — Ὁμώνυμοι.

D. L. I, 98. — Σωτίων καὶ Ἡρακλείδης καὶ Παμφίλη ἐν κτλ. : duos fuisse Periandros, tyrannum alterum, alterum vero sapientem, eumque Ambracioten.

III. — Ἀποφθέγματα.

1. D. L. II, 74. — Aristippus ἐχρῆτο καὶ Λαΐδι τῇ ἑταίρᾳ, καθά φησι Σωτίων ἐν τῷ δευτέρῳ τῶν Διαδοχῶν. Dictum sequitur Aristippi de Laïde, Sotioni adscribendum; — quod jam confirmabimus.

([1]) Eam vim inesse suspicor verbo φαίνεται. Ceterum hæc ipsa sunt Eunapii verba : Τὴν φιλόσοφον ἱστορίαν καὶ τοὺς τῶν φιλοσόφων ἀνδρῶν βίους Πορφύριος καὶ Σωτίων ἀνελέξαντο · ἀλλ' ὁ μὲν Πορφύριος (οὕτω συμβάν) εἰς Πλάτωνα ἐτελεύτα καὶ τοὺς ἐκείνου χρόνους, Σωτίων δὲ καὶ καταβὰς φαίνεται, καίτοι γε ὁ Πορφύριος ἦν νεώτερος. De Porphyrio constat, de Sotione videtur; id est Porphyrium de visu, Sotionem ex fama noverat Eunapius.

2. Ath. VIII, p. 343 b. — Σωτίων καὶ Ἡγήσανδρος Δελφός : Aristippi ad Platonem responsio; — cujus fabellæ paulo diversa narratio dicto de Laïde apud Laertium subjungitur. Atqui Athenæus Hegesandrum se descripsisse, non Sotionem, fatetur; Hegesander igitur, incertæ ætatis auctor, Sotionem recte descripserat, quem posterius perperam descripsit Laertius (aut is quem proximum auctorem sequitur); nisi mavis Athenæum, duas lectiones legendo quum reperisset, Sotionis sprevisse, Hegesandri prætulisse narratiunculam.

3. D. L. VI, 26. — Σωτίων ἐν τῷ τετάρτῳ : Diogenis cynici ad Platonem, plus cibi mittentem quam rogatus esset (1), dictum.

Quæ tria dicta minime insulsa sunt, neque opere serio indigna, præsertim quum et Aristippus et Diogenes, imo cynici omnes, istiusmodi magis dictis quam scribendo aut sermones serendo philosopharentur.

4. D. L. V, 79. — Ἡρακλείδης ἐν τῇ ἐπιτομῇ τῶν Σωτίωνος διαδοχῶν : Demetrii Phalerei dictum.

5. D. L. II, 135-136. — Menedemi dicta (v. infra).

IV. — Δόξαι.

1. D. L. IX, 20. — Φησὶ δὲ Σωτίων πρῶτον Xenophanem εἰπεῖν ἀκατάληπτ' εἶναι τὰ πάντα, πλανώμενος. — Errasse Sotionem non ita constat; sub judice lis ponatur.

2. Sextus Emp., Πρὸς δογματικούς, p. 193, ed. Bekker. — Sunt qui tradant, καθὸ καὶ ὁ Σωτίων μεμαρτύρηκεν, a Cyrenaïcis philosophiam in duas partes, moralem et logicam, divisam esse. — Sotionem cum anonymo consentire, qui forsan Hippobotum sequeretur, dissentire autem a Meleagro et Clitomacho (D. L. II, 92; v. infra, cap. X), notandum.

3. D. L. II, 135. — Φησὶ δ' Ἡρακλείδης ἐν μὲν τοῖς δόγμασι Πλατωνικὸν εἶναι Menedemum Eretricum, διαπαίζειν δὲ τὰ διαλεκτικά · ὥστε κτλ.; sequitur responsio qua dialecticam quamdam ambagem submovet Menedemus; duo dicta quæ sequuntur manare ex eodem fonte suspicari licet (v. Bahnsch., p. 28).

(1) Ibi Cobetus, male interpungens, non ea quæ sequuntur, verum ea quæ antecedunt nomen Sotionis, Sotioni videtur tribuere.

V. — Βίοι.

1. D. L. I, 25. — Ἡρακλείδης, Clytum afferens testem : Thaletem μονήρη γεγονέναι καὶ ἰδιαστήν.

2. D. L. II, 12. — Σωτίων ἐν τῇ διαδοχῇ τῶν φιλοσόφων : de Anaxagora accusato, dein mulctato, narratio, narrationibus Hermippi, Hieronymi Rhodii, Satyri, dissimilis.

3. D. L. III, 26. — Ἡρακλείδης (Lembus? Ponticus??) : Plato, νέος ὤν, ἦν αἰδήμων, κτλ.

4. D. L. II, 138, 143, 144. — Ἡρακλείδης, ter nominatus : Menedemi tres filiæ; idem quibus causis et quem agens ætatis annum mortuus sit; mortis autem narratio ut contraria Hermippo opponitur.

5. Ath. IV, p. 162 e. — Νικίας Νικαεύς..., καὶ Σωτίων ὁ Ἀλεξανδρεὺς ἐν ταῖς Διαδοχαῖς : satis obscena quædam de Persæi, Zenonis familiaris, moribus.

6. D. L. VIII, 44. — Ἡρακλείδης ὁ τοῦ Σαραπίωνος (forsan in Satyri, non Sotionis, epitome) : quo ætatis anno mortuus sit Pythagoras.

7. D. L. VIII, 52. — Ἡρακλείδης (in Satyri forsan epitome; ceterum vide notulam p. 48), nec non et Aristoteles : quo ætatis anno mortuus sit Empedocles.

8. D. L. VIII, 53. — Ἡρακλείδης ἐν τῇ ἐπιτομῇ (Sotionis videlicet, non, ut C. Muellero visum est, Satyri; nempe is locus Satyrum refellit) : quo certamine in ludis vicerit Empedoclis filius.

9. D. L. VIII, 86 et 87. — Σωτίων ἐν ταῖς Διαδοχαῖς : Eudoxi disciplinæ et migrationes, donec Athenis discipulos coegit, sedulo narrantur.

10. D. L. IX, 5. — Σωτίων, testem afferens Ἀρίστωνα ἐν τῷ περὶ Ἡρακλείτου : de morbo et morte Heracliti.

11. D. L. IX, 110, 111. — Σωτίων ἐν τῷ ἑνδεκάτῳ, dein rursus iisdem verbis laudatus : de Timonis vita quædam, nec non quo ætatis anno mortuus est; quæ autem de Timonis operibus ibi afferuntur potius ex Antigono Carystio fluere videntur.

12. D. L. X, 1. — Ἡρακλείδης ἐν τῇ Σωτίωνος ἐπιτομῇ : Epicuri a pueritia migrationes, donec Athenis scholam constituerit.

Ex omnibus his reliquiis jam apparet Sotionem fuisse scriptorem ἀκριβῆ, ἐπιμελῆ, valde eruditum et ζητητικόν, sane non ἄκριτον,

quamvis nondum facultatem Aristarcheorum κριτικωτάτην haberet, in summa antecessorum suorum Callimacheorum omnibus virtutibus præditum, ejusdem scholæ vitiorum non expertem.

Non minor erat ejus doctrina in Sillorum Timonis commentario, ubi comœdiam citabat Alexidis, quam miratur Athenæus (VIII, p. 336 d) seipsum neque legisse neque inscriptam reperisse sive in Callimachi et Aristophanis Byzantii alexandrinis, sive in anonymorum pergamenis indicibus; rem adeo miratur Athenæus ut suspicari videatur Sotionem erravisse, quod annon temere suspicetur non audeam asserere.

### VI. — Διαδοχαί.

Eædem ingenii dotes, eadem industria, apparent in fragmentis ad ipsius operis argumentum pertinentibus, de quibus nunc disserendum. Quibus descriptis et illustratis reliquiis spero me confirmaturum, ut jam prænuntiavi, generalem successionum dispositionem a Sotione ad Laertium fluxisse.

Locos octo aut novem ad διαδοχάς pertinentes habemus; quorum eos primum citabimus qui, leviter æstimati, propositum nostrum videntur refellere, accuratius vero perpensi revera non refellunt; postremo hos adducemus qui hoc propositum aperte confirmant.

1. D. L. VII, 183-184. — Postquam narravit Cleanthis discipulum fuisse Chrysippum et de Chrysippo alia multa sine ordine effudit, hæc improvisus addit Laertius : Τέλος δ' Ἀρκεσιλάῳ καὶ Λακύδῃ, καθά φησι Σωτίων ἐν τῷ ὀγδόῳ, παραγενομένοις ἐν Ἀκαδημίᾳ συνεφιλοσόφησε, unde factum est ut de quibusdam quæstionibus secundum morem Academiæ dialecticum disseruerit Chrysippus. — Quæ mentio non eo tendit ut seriem tum Academicorum quum Stoïcorum conturbet vulgo traditam, eamdemque a Laertio servatam.

2. D. L. VIII, 86. — Item, postquam dixit, Callimachum afferens testem, quos primós italicos Eudoxus habuerit magistros, e quorum disciplina pythagoricus evasit, hæc subjicit Laertius : Σωτίων δ' ἐν ταῖς Διαδοχαῖς λέγει καὶ Πλάτωνος αὐτὸν ἀκοῦσαι; quibus autem temporum rationibus Eudoxus Platonem audiverit, explanant sequentia, quæ Laertius a Sotione quoque mutuatur : e quibus patet Eudoxum Platonem duos tantum menses audivisse, posterius Platonis in docendo rivalem Athenis exstitisse, — Sotionem igitur cognationi a Callimacho indicatæ nihil aliud quam testimonium addidisse minoris momenti; hanc autem cognationem in opere suo

verisimiliter exhibebat, et Pythagoreis Eudoxum, sicut et Laertius, annumerabat.

3. D. L. II, 120. — Item, in vita Stilponis, hæc affert Laertius : Τούτου φησὶν Ἡρακλείδης καὶ τὸν Ζήνωνα ἀκοῦσαι τὸν τῆς στοᾶς κτίστην. Quod testimonium alibi confirmatur (II, 114 ; VII, 2). — In Zenone autem, etiamsi a Megarensibus, sive Stilpone, sive, ut asserebat Hippobotus, Diodoro Crono, ad dialecticam informatus fuerit, plurimum valuit Crates cynicus ; itaque omnes, præter Hippobotum (v. infra cap. X), scriptores Stoïcorum doctrinam a Cynicis defluere concinunt (v. D. L. VI, 104, 105) ; atqui Sotio videlicet huic adversari sententiæ communi non tentaverat : Stoïci enim in ejus libro cynicos excipiebant, quod paulo infra confirmabimus (p. 62).

4. D. L. V, 86. — Heraclides Ponticus Ἀθήνησι παρέβαλε πρῶτον μὲν Σπευσίππῳ · ἀλλὰ καὶ τῶν Πυθαγορείων διήκουσε καὶ τὰ Πλάτωνος ἐζηλώκει · καὶ ὕστερον ἤκουσεν Ἀριστοτέλους, ὥς φησι Σωτίων ἐν Διαδοχαῖς. Verisimile est totum hunc locum, non ultimam tantum partem, a Sotione fluere. Laertius (aut is quo utitur auctore) non perspexit Heraclidem Ponticum Pythagoreos simul ac Platonem secutum esse, utpote qui discipulus Speusippi fuerit, cujus in disciplina Platonis philosophia pythagoreis adulterabatur dogmatibus. — Alii autem scriptores, ut videtur, Heraclidem ad Aristotelem transiisse parum curantes, Academicis eum annumerabant (¹) ; cujus vero librorum index facilius aristotelicum profitetur (v. supra p. 12) ; inde conficitur Laertium recte tradita recte secutum esse ; quam quidem traditionem ab ipso Sotione repetendam esse credo ; hoc apparet, non e scriptura ipsa laertiana, sed e loco quem obtinuit, Heraclidis vitæ initio, in libro peripateticæ scholæ dedicato.

5. D. L. II, 113. — Stilpo Megarensis διήκουσε μὲν τῶν ἀπ' Εὐκλείδου τινῶν · οἱ δὲ καὶ αὐτοῦ Εὐκλείδου ἀκοῦσαί φασιν αὐτόν, ἀλλὰ καὶ Θρασυμάχου τοῦ Κορινθίου, ὃς ἦν Ἰχθύα γνώριμος, καθά φησιν Ἡρακλείδης. Utrum Heraclidis, id est Sotionis auctoritas tantum de Thrasymacho Ichthyæ sive discipulo sive familiari excitetur, an de Stilpone quoque et Euclidis ipsius et Thrasymachi auditore, non

(¹) Πλατωνικός nominatur a Strabone (XII, p. 541) ; Platonis scholæ in Siciliam profecti aliquantisper præfectus erat, teste Suida. Ceterum vide Deswertii Dissertationem de Heraclide Pontico (Lovanii, 1830). In papyro quidem herculanensi, Platonem audivisse dicitur Heraclides ; eum Aristotelis potius doctrinis addictum fuisse non negatur ; temere igitur Sotioni « peripatetico » herculanensem scriptorem Nietzschius opponit (Rh. M., 1869, p. 207).

apparet. Hoc tantum liquet, Sotionem accurate de Megarensibus vel obscurioribus eorumque successione egisse.

6. D. L. IX, 115. — Quatuor Timonis discipuli ex Hippoboto et Sotione indicantur, ut Menodotus quidam confutetur (non Menodotus Samius historicus, sed potius Menodotus Nicomediensis scepticus, paulo infra ab ipso Laertio nominatus, inter Æneside-mum et Sextum tempore medius), qui dixerat nullum fuisse Timoni successorem, institutum scepticum post intermissionem instauravisse Ptolemæum Cyrenensem.

Omnes supra citati loci ad successionem pertinent philosophorum qui post Socratis tempora vixerunt. Quæ quidem materia facile tractari potuit : nam magistrorum et discipulorum nomina vel in libris statim inscripta fuerant quos studiosis paratos habebat Alexandrina bibliotheca, vel, fama primum servata, mox a scriptoribus fuerant collecta, antequam rerum memoriæ fabulis atque inventis essent adulteratæ aut per longius temporis intervallum fidem sibi fecisset mendacium de industria vulgatum. De hac philosophiæ ætate quæ Socratem sequitur ac maxime in morum doctrina versata est, et quæ Sotione ac Sotionis æmulis florentibus duravit, in obscuro nihil relinquere critici poterant, modo diligentes et eruditi, nisi forsan de minoribus Socraticorum scholis, quales fuerunt Cyrenaïca, Eliaca, Eretrica; quamquam in illis, bibliothecæ Alexandrinæ aut Pergamenæ copiis nemo non poterat, modo satis curiosus, investigando quæstiones istas extricare minime inenodabiles. Cum Socrate et Socraticis incipit ætas philosophiæ græcæ historica, desinit antehistorica. Jam parum est compertum quos aut musicæ magistros aut sophistas aut philosophos Socrates juvenis sive legerit sive audiverit[1], quum Xenophon et Plato magistri sui incunabula quasi religiose velaverint. A Socraticis inde exstiterunt et philosophi et historiæ philosophorum scriptores, ante Socratem vero philosophi tantum, ut historiæ incuriosi, ita et ipsi ἀνιστόρητοι.

Quorum seriem ac proprie philosophicam cognationem ex intima doctrinarum natura constituerunt ætatis nostræ viri docti; eadem ratione veteribus constituenda erat. Cui labori si quis, ut par est, vere philosophus et Aristotelius justam impendat operam, is demum perspiciet quid a superioribus philosophis quisque sump-

[1] V. Fouillée, *La Philosophie de Socrate*, t. I, init.

serit, quæ notitiarum elementa in majus auxerit, quæ priorum placita impugnaverit, quid prorsus novi primus protulerit. Et quidem ante omnia necesse est ut, vel sermone tradita, vel scribendo consignata, illorum tempora constent philosophorum; sed ea ipsa temporum series, magis etiam discipulorum et magistrorum cognatio, ad rationem et causas doctrinarum sunt exigendæ, quibus et acutissime et certissime historia philosophiæ vere philosophica nititur. Atqui hoc videtur munere functus esse Theophrastus, ingenio æque historico et philosophico præcipuus. Qua in opera nunquam errasse Theophrastum non ausim asserere, quippe qui Diogenem Apolloniatam Leucippi et Anaxagoræ familiis adscripserit, quem Anaximeni rectius adscripsisset.

Quod si autem aliquando erravit, Alexandrini critici, labris tantum, non scientia peripatetici, non ii erant qui Theophrasteos errores corrigerent; imo, quum ejus vestigia desererent, eo magis debuerunt errare. Qui si propriæ doctrinæ ac proprii ingenii modulum verius novissent, satis habuissent Theophrasti de prisca philosophia sententias exscribere, et magistri in verba jurare, quemadmodum Epicuri Lucretius

Ficta pedum ponit pressis vestigia signis.

Recti judicii critico minus auctoritatis habebant et ἀδέσποτα ὑπομνήματα, quæ legisse gloriabatur Hermippus, et ignoti atque incertæ ætatis scriptores quos κατὰ στοιχεῖον recensuerat Callimachus, quam ut iis fretus Theophrastum redarguere auderet, si forte magnus ille vir ab ejusmodi homunculis dissentiret. Sotio debuerat, aut ingenii acumine præditus, legendis atque intelligendis Heracliti τοῦ σκοτεινοῦ, Anaximandri, aliorum, pulverulentis voluminibus operam navare, — aut, si tæderet eum libris invigilare fastidiosis, utpote qui nullas fabellas narrarent, nulla ἀποφθέγματα, nulla maledicta, simpliciter confiteri Theophrastum eo fuisse ingenii acumine, ea fide ac religione, ut inutile posteris fieret ejus opus retractare. Et, hoc quidem confessus, Sotio περὶ διαδοχῶν commentationem scribere potuisset fere eximiam : opus nempe Theophrasti, utpote de physicis doctrinis plenum atque perfectum, de nexu quoque et successione perfectum erat philosophorum præ Socratem, ἀνιστορήτων videlicet, quippe qui nonnisi de natura rerum et cogitaverant et scripserant.

Quid plura? jam videbimus hoc acumen, quod longe dissimile est ab eruditorum ἐπιμελείᾳ et ἀκριβείᾳ, Sotioni defuisse, eumdemque,

minoribus tantum quæstionibus par ingenium, in arduis autem et præcipuis ἄκριτον, levibus, ut videtur, de causis, ut gloriosum librorum amatorem et helluonem, philosophorum physicorum antesocraticorum quam instituerat Theophrastus successionem perturbavisse.

7. D. L. IX, 21. — Παρμενίδης Πύρητος Ἐλεάτης διήκουσε Ξενοφάνους. Τοῦτον Θεόφραστος ἐν τῇ ἐπιτομῇ Ἀναξιμάνδρου· φησὶν ἀκοῦσαι. Ὅμως δ' οὖν ἀκούσας καὶ Ξενοφάνους οὐκ ἠκολούθησεν αὐτῷ. Ἐκοινώνησε δὲ καὶ Ἀμεινίᾳ καὶ Διοχαίτῃ τῷ Πυθαγορικῷ, ὡς ἔφη Σωτίων, ἀνδρὶ πένητι μέν, καλῷ δὲ κἀγαθῷ · ᾧ καὶ μᾶλλον ἠκολούθησε καὶ ἀποθανόντος ἡρῷον ἱδρύσατο. Γένους θ' ὑπάρχων λαμπροῦ καὶ πλούσιος ὑπ' Ἀμεινίου, ἀλλ' οὐχ ὑπὸ Ξενοφάνους, εἰς ἡσυχίαν προετράπη.

Hic locus, ut magni pretii nobis est, ita multis difficultatibus impeditus.

Primum, videtur Laertius auctorem non intellexisse quem transcribebat. Verba ipsa Theophrasti, non qualia in epitome, sed qualia in majore opere (v. supra cap. I, p. 12-14) legebantur, jam sunt commemoranda : Τούτῳ (id est Xenophani) δ' ἐπιγενόμενος Παρμενίδης Πύρητος ὁ Ἐλεάτης... (fr. 44); — Ξενοφάνη τὸν Κολοφώνιον τὸν Παρμενίδου διδάσκαλον... (fr. 45). Notemus primum verba Παρμενίδης Πύρητος ὁ Ἐλεάτης ad verbum apud Laertium descripta. Deinde, quum Theophrastus Parmenidem Xenophanis discipulum dixisset, non et dixerat Anaximandri; inde apparet pronomen τοῦτον de Xenophane, non de Parmenide, audiendum. Sane Theophrastus, hanc successionem in Epitome breviter contrahens, hoc fere dixerat : « Parmenides, discipulus Xenophanis, discipuli Anaximandri, » atque ita Milesiæ scholæ Eleatem subjunxerat. Laertius autem, auctorem incertum contrahens a quo citatus erat Theophrastus, quum credidisset pronomine τοῦτον Parmenidem significari, hanc sententiam : τοῦτον Θεόφραστος ἐν τῇ ἐπιτομῇ Ἀναξιμάνδρου φησὶν ἀκοῦσαι, male intellexit (quam quidem interpretes eo præeunte et ipsi perperam intellexerunt), et in vita Parmenidis, non Xenophanis, perscripsit.

Huic autem Theophrasteæ διαδοχῇ Sotio adversatur : quippe qui, in aliquo volumine quod pulvis, certe non immerito, obtegebat, Aminiam et Diochætem detexit; inde superbus Theophrasti miseretur, duosque illos obscuros καλοκἀγαθούς, non sine Xenophanis detrimento, extollit, nexumque doctrinæ ante ipsum non minus

indubitatum quam indubitabilem rumpit, qui manifestus fuisset cuicumque duo Parmenidis et Xenophanis poemata legenti.

Perpendamus jam an Sotio Theophrastum vel de Xenophane Anaximandri discipulo refellerit. Quod equidem suspicari ausim, qui credam Sotioneæ argumentationis lacinias in his quæ sequuntur versibus invenisse.

8. D. L. IX, 18. — Xenophanes διήκουσε κατ' ἐνίους μὲν οὐδενός, κατ' ἐνίους δὲ Βότωνος Ἀθηναίου, ἤ, ὥς τινες, Ἀρχελάου · καί, ὡς Σωτίων φησί, κατ' Ἀναξίμανδρον ἦν.

Non nisi de Xenophane Anaximandro æquali Sotionem aperte Laertius antestatur. Licet autem suspicari ea quoque quæ ante supra leguntur oblique ex illius opere ducta esse, et Sotionem his ferme argumentis usum esse : « Sunt qui Xenophanem neminem audivisse dicant; sunt qui ei magistrum adscripserint, — alii Botonem, obscurum virum, sapientem forsan, certe minime philosophum, — alii Archelaum, stolide, quoniam Archelaus fere uno sæculo post Xenophanem vixerit, — Theophrastus vero Anaximandrum, in errorem inductus quia et tempore et natione Xenophanes et Anaximander æquales erant; ceterum in nonnullis libris ego legi Xenophani nullum fuisse magistrum; ergo neminem audiit, nihil non de suo desumpsit; αὐτοδίδακτος habendus est et αὐτουργὸς τῆς φιλοσοφίας. »

Maxime insigne est in Laertiana διαδοχῇ, quod italicis philosophis, Pythagoreis dico et Parmenidi, medios interposuit duo *solitarios* philosophos, Heraclitum et Xenophanem. Hoc autem ex ingenio suo Laertius non finxit, postquam de Pythagoreis finem fecit ita locutus : νῦν ἤδη περὶ τῶν σποράδην, ὥς φασι, διαλεχθῶμεν · λεκτέον δὲ πρῶτον περὶ Ἡρακλείτου (VIII, 91); dein, postquam et Heraclitum et Xenophanem absolvit : καὶ οὗτοι μὲν οἱ σποράδην (IX, 20); quibus continuo verbis subjiciuntur ea Sotionis quæ paulo supra descripsimus, de Parmenide Xenophani perperam adscripto, Pythagoreis, saltem obscuris, potius adscribendo; dein, a Parmenide jam series magistrorum ac discipulorum ordine continuatur, Abderitanis Eleaticæ scholæ adscriptis, Abderitanæ autem Pyrrhone et Epicuro. Quod si probetur conjecturarum nostrarum ratio, quæ fundamento saltem stabili nititur, e Sotione

ad Laertium fluxit illa mira Xenophanis quasi *solitudo;* Sotio primus statuerat hunc sine magistris, sine discipulis philosophantem utrinque ἀδιάδοχον fuisse.

Quid si eadem de Heraclito demonstrare possim? at demonstrare nequeo; conjicere saltem licebit.

9. D. L. IX, 5. — Ἤκουσε τ' οὐδενός Heraclitus, ἀλλ' ἑωυτὸν ἔφη διζήσασθαι καὶ μαθεῖν πάντα παρ' ἑωυτοῦ (¹). Σωτίων δέ φησιν εἰρηκέναι τινὰς Ξενοφάνους αὐτὸν ἀκηκοέναι.

Sotionem hæc fere dixisse suspicor : «Sunt qui eum Xenophanem audiisse asserant, falso, namque et ipse sese αὐτοδίδακτον professus est.»

His videlicet Sotioneis, mediocri interposito intervallo, testimonium subjungitur de secta Heraclitea, quod, Aristotelis auctoritati consentaneum, forsan et ex Aristotelis Metaphysicis depromptum, Antistheni vindicavimus (v. supra p. 43-44), notavimusque Antistheni in ea re Laertium non obsecutum esse, quum Laertius Heraclitum σποράδην exstitisse contendat. In constituenda hac quasi interclusione quæ philosophorum græcorum seriem dissolvit, quem habuit Laertius auctorem? Certo non Antisthenem. Sosicratemne an Alexandrum? an Hippobotum? Quorum quemvis opinati gratuito opinabimur. Malo equidem credere Sotione duce Laertium usum esse, quippe qui non mediocribus fretus indiciis ad hanc opinionem adducar.

Si mihi concedant critici a Sotione excogitatos fuisse τοὺς σποράδην, concedent etiam, quod inde continuo efficitur, ab eadem origine deductam esse omnem διαδοχήν libri IX Laertiani, nec non locum Epicuro post Pyrrhoneos assignatum, quia scilicet Epicurus per Democriteos, satis obscuros homines, Democrito, haud aliter atque Pyrrhonei, annectitur. Quum vero fere omnes ἀπορίαι quæ ad philosophos antesocraticos pertinent hoc in libro IX contineantur, Laertianas successiones easdem esse atque Sotioneas facile persuadebimus, exceptis (quod vix opus est notare) eorum successionibus philosophorum qui post Sotionem vixere. Argumenta enim octo priorum librorum nihil habent arduum quod ad successiones

(¹) De significatione horum verborum erraverunt et Plutarchus, et, eo duce, Casaubonus; vide enim testimonia congesta a viro doctissimo Bywater ad Heracliti fragm. LXXX.

pertineat : de uno magni momenti discrimine operosa poterat esse disceptatio, quæ est de Anaxagoræ magistro; hunc enim non Laertius solum (II, 6), sed etiam Cicero (De Nat. D., I, 11) Anaximenem fuisse contenderunt; Anaxagoram legisse Anaximenis librum et ex eo utilitatem percepisse libenter concedunt ætatis nostræ critici, sed Mileti magistrum hunc audivisse negant; nam quominus hoc concedatur obstat ratio temporum. Hac de una re a Laertii librorum I-VIII διαδοχαῖς recentiores historici dissentiunt. Hoc excepto, quis est qui neget hinc Thaleti successorem fuisse Anaximandrum, Anaximandro Anaximenem, illinc Anaxagoræ Archelaum, Archelao Socratem? Jam igitur inde a Socraticis (quos explicant libri II-VII) fit lumen; rursus offunduntur tenebræ, non circa Pythagoreorum scholam (in libro VIII explicatam), cujus historia peculiaris ab Aristoxeno, fere dictante Xenophilo aliisque ultimis Pythagoreis, scripta erat, sæpe ex eo tempore transcripta, ut ita dicam, et vulgata, sed circa Heraclitum, Xenophanem, Parmenidem, alios physicos philosophos, de quibus libro IX agitur. Apparet igitur libri IX præcipuum auctorem, et totius operis Laertiani, quod ad formam et successiones attinet, præcipuum auctorem habendum esse.

Quo in libro IX, hiatus quidam est in successionum serie valde notabilis : Melissus Samius Parmenidis scholæ adscriptus fuit, videlicet ne *solitudo* obturbaretur Heracliti : quocum certe conversatus est (εἰς λόγους ἦλθεν κτλ.; IX, 24), cujus vero doctrinam non secutus est; at Parmenidem Eleæ Melissus audivit, Zenonis condiscipulus; Zenonem rursus Leucippus audivit; quamvis autem nos recentiores non facile credamus ex Achilleo argumento atomos, ambulatoria corpuscula, derivatos esse [1], utcumque, hac arte Eleaticorum doctrina Abderam traducitur; jam Leucippum excipit Democritus, Democritum Protagoras, Anaxarchus aut Democritum aut Democriteum quemdam, Anaxarchum Pyrrho, hunc sceptici; inde ad Epicurum transitur, qui Nausiphanem Pyrrhoneum audierat, quique, quod magis interest, ad philosophiam lectis Democriti libris sese contulerat; quæ omnia ipsis Laertii verbis habemus tradita. Sed inter Protagoram et Anaxarchum Diogenes Apolloniates interponitur; cujus interpositionis nulla causa proponitur; contra autem,

[1] Verisimilius est Simplicii (Phys., f. 7 a) testimonium, qui Leucippum physicum ipsi Parmenidi adjungit his verbis : κοινωνήσας Παρμενίδῃ τῆς φιλοσοφίας, non Zenoni dialectico.

hunc Diogenem Anaximenis auditorem fuisse, ὥς φησιν Ἀντισθένης (v. supra p. 43) dicitur; quod si ita se res habuit, in libro II certo locandus erat ([1]).

Ejus autem quæstionis nodum explicat Theophrasti supra laudatum testimonium (vide p. 13) : τὰ μὲν πλεῖστα συμπεφορημένως γέγραφε, τὰ μὲν κατὰ Ἀναξαγόραν, τὰ δὲ κατὰ Λεύκιππον λέγων. Manifestum inde fit Diogeni Apolloniatæ magistrum Leucippum a scriptore tributum esse quem Laertius compilavit; qua in re, sicut in ceteris, ut ego opinor, Sotionem auctorem hic ipse auctor sequebatur; ipse autem Sotio, Theophrastum secutus, Anaxagoræ mentionem, nescio quam ob causam, excluserat, Leucippum unum servaverat. — In quo mala usus est fortuna : nam optime Ed. Zellerus monstravit ab Anaximene doctrinæ suæ fundamenta mutuatum esse Diogenem Apolloniatem, dein huic multa ex Anaxagoræ scriptis excerpta adjunxisse, cujus ceterum principiis adversabatur. Sotio igitur, ni fallor, qui stulte Theophrastum refellit, quum Theophrastus rectissime sapit, hunc errantem secutus est.

Denique, ad διαδοχῶν argumentum referendi sunt duo loci de philosophicæ speculationis initiis :

10. D. L. Procemium, 1 et 7. — Ample disseruerat de barbarorum philosophiis Σωτίων ἐν τῷ εἰκοστῷ τρίτῳ τῆς Διαδοχῆς; — plura deinceps de magis feruntur, ὡς ἐν τῷ εἰκοστῷ τρίτῳ φησὶν ὁ Σωτίων. — Utrobique legendum ἐν τῷ εἰσαγωγικῷ Nietzschius est auctor (Rh. M., 1870, p. 217-218); cui audaci sed felicissimæ emendationi nihil obstat quin assentiamus.

Certe non ex Ægyptia religione, magorum et gymnosophistarum doctrinis orta priorum Ioniæ et Italiæ philosophorum placita Sotionem opinatum esse apparet, quod tamen Nietzschius temere asseruit (Rh. M., 1869, p. 205); hoc tantum, et eruditissime, ut videtur, amplificabat : philosophandi studium atque hunc ratiocinandi modum qui philosophia dicitur, Græcæ genti non peculiarem fuisse, barbaros ante Græcos philosophiam coluisse. E Sotione videntur fluxisse omnia testimonia quibus hæc nititur sententia, et quæcumque ad externarum gentium doctrinas pertinent, quorum

([1]) Non suspicari possumus a librario turbatum esse ordinem hujusce Diogenis vitæ; nam, si ita se res haberet, Diogenis ὁμώνυμοι Apolloniatæ vitæ subjicerentur; atqui ad calcem Diogenis cynici vitæ, in libro VI, enumerantur.

in Laertii procemio (§ 1, 2, 5, 6-11) congeriem habemus, omnes etiam loci ex Aristotele et ejus discipulis, nec non ex Hermodoro Platonico, Aristagora, Hecatæo, Manethone, aliis, quos omnes Sotione priores Laertius ibi testes excitavit. Verisimile est nobis hic in manu esse multa quædam et ampla e prima parte primi libri Sotionis excerpta, id est ex ejus εἰσαγωγικῷ. Fateor Laertii procemium confutationem quoque habere hujus Sotioneæ, ut videtur, opinionis; inde patet excerpta Sotionis simul cum confutatione ex eodem auctore ad Laertium tradita esse. Quod superest procemii (§ 12-21) e Sotione ad Laertium eodem modo derivatum esse, additis aut mutatis quibusdam, interposito maxime Hippoboti Περὶ αἱρέσεων libri summario, licet credere, præsertim quum harum paginarum pars præcipua omnium philosophorum græcorum διαδοχῆς summarium sit, id est ipsa operis Laertiani forma, quæ quidem, ut opinati sumus, operis forma fuit Sotionei (¹).

De qua similitudine utriusque operis, ultimum afferre liceat argumentum.

E fragmentis supra laudatis apparet Sotionem dixisse de Aristippo in secundo τῶν Διαδοχῶν libro, in quarto autem de Platone aut de cynico Diogene, in septimo de cynico eodem, in octavo sive de Chrysippo, sive de Arcesila et Lacyde, in undecimo de Timone. Atqui Arcesilas a Platone sejungi non poterat longo trium librorum intervallo, neque cynicus Diogenes partim in quarto, partim in septimo libro tractari. Quartum igitur librum Platoni, forsan et Academicis, assignandus est, octavus Chrysippo, id est Stoïcis. Ita ut nobis sic ordinem quo usus est Sotio fingere possimus :

Liber primus procemium continebat εἰσαγωγικόν de barbarorum ante Græcos philosophia, deinde de Sapientibus agebat et de inventoribus apud Græcos philosophiæ; — liber secundus de Socrate et

(¹) « Omnino ea, quam in procemio indicavit, philosophiæ divisio non cum ea conspirat quam in ipso opere persecutus est. » Sic Bahnschius, p. 23, qui repugnantia quædam notavit maxime perspicua. Divisio tamen prior ita in summa cum altera congruit ut eas a duobus auctoribus manare difficile sit opinari. Verisimilius est Laertium procemium oscitanter describentem summarium auctoris sui vel capitulorum indicem eo magis imperite coarctavisse quod ejusdem auctoris rationem ne pro suo quidem ingenio perspicere potuerat in voluminibus vix replicatis, nondum perlectis; sane a principio, librarii instar, sequentium ignarus et fere incuriosus, opus suum Laertius inceperat. — Repugnantiam inter Pr. 18 et Clitomachi vitam (IV, 67) optima emendatione sustulit Nietzschius (Rh. M., 1870, p. 221 sqq.) : Κλεινόμαχος, non Κλειτόμαχος Dialecticam scholam instituerat.

Socraticis minoribus, de Cyrenaïcis certe agebat; — tertius de Socraticis minoribus agere pergebat, quales fuerunt Eliaci, Eretrici, Megarici; — quartus erat de Platone profecto, forsan et de primis Academicis; — procul dubio in quinto et in sexto de Academicis finem Sotio faciebat, dein de Aristotele et peripateticis disserebat; — jam Cynicis in septimo pertractatis succedebant in octavo heredes eorum Stoïci; — quid vero aliud comprehendere poterant et nonus et decimus liber, nisi materiam quæ est octavi et noni apud Laertium, id est Pythagoreos, Eleatas, Abderitanos? — Inde, sine dubio, ad Pyrrhoneos veniebat, undecimi libri materiam. — Atqui Sotionem duodecim omnino libros scripsisse cum aliis et Nietzschio (Rh. M., 1870, p. 217) crediderim; nempe is numerus eo stabilitur quod Heraclides Lembus Sotioneum opus in *sex* libros contraxerat. Quid materiæ duodecimo libro jam superest, nisi Epicurus et Epicuri schola?

Jam vero tenemus Laertiani operis formam, eamque hoc maxime conspicuam quod Cynici, minorum gentium Socratici, Stoïcos protinus præcurrunt, a ceteris minoribus Socraticis mediis Academicis et Peripateticis separati.

At jure quidem objicientur nobis indicia perturbationis quæ in transitibus Laertii inveniuntur, præcipue ultimi Antisthenis vitæ versus : ἐπειδὴ δὲ τοὺς ἀπ' Ἀριστίππου διεληλύθαμεν καὶ Φαίδωνος, νῦν ἑλκύσωμεν τοὺς ἀπ' Ἀντισθένους κυνικούς τε καὶ στωϊκούς (VI, 19), miro quodam modo secutura nuntiantes, quum jam, non solum Aristippi et Phædonis, sed etiam Euclidis, Platonis, Aristotelis discipulorum enarratio fuerit exhausta. Quid vero est cur non credamus hanc clausulam e fonte minime Sotioneo ortam esse? quum compertum sit e pluribus fontibus fluere lutosum Laertii rivum, contenderim tantum ac teneam aquas unius ex his rivulis, Sotionei dico, alveum Laertiano rivo præfodisse, ceterorum undas tantum supernatavisse. Imo, duos saltem rivulos ad Laertium Sotionei fontis undam intulisse suspicor : quod nempe nisi foret, non citatum modo proprio nomine Sotionem, modo Heraclidem breviatorem videremus; contra, horum alter solus apud Laertium citaretur, alter ne nomine quidem indicaretur (cf. Bahnsch., p. 48).

Accurate Laertium legenti perspicuum est in ejus libris discernendum esse, tum summarium quoddam et quasi totius corporis compagem, initio cujusque vitæ nec non aliis locis (ut exemplo

utar, vide III, 46, discipulorum Platonis indicem) manifestam, tum omnigena interposita additamenta; Laertium autem plerumque auctores suos quum talia inserit nominare, primarium contra summarii auctorem solito more omittere, cui tamen præcipua debuerit (cf. Bahnsch., p. 16-17, 49, 50). Atqui hujus summarii quod ad successiones attinet e Sotione fluxisse non gratuito opinor. Ejusdem illam partem quæ est de vitis e Satyro et Antigono Carystio compilatam esse non equidem demonstrare aggrediar, quippe quod a proposito meo alienum sit; hoc tamen ex indiciis fide non indignis licet conjicere.

E nostris disputationibus apparuit parvi momenti fuisse Sotionis ipsius historicam auctoritatem, quamquam opus illius operibus quum peripateticorum tum Callimachi, Hermippi, aliorum, paratum erat et quasi expeditum; sed alexandrini grammatici ingenium potius quam historici vere philosophi conficiendis Διαδοχαῖς adhibuerat. Duplicem tamen sibi laudem merito retinet : 1° quippe qui tum omnis generis testimonia jam scriptis mandata ordinaverit, tum seriem philosophorum usque ad suam ætatem continuaverit; 2° idem et quæ sit utilitas in notata doctrinarum cognatione intellexerit, ac primus de re illa opus quoddam totum et apte cohærens scripserit. Harum virtutum, ut propter priorem non contemnendus, ita posteriore magis commendabilis Sotio videtur, quamquam, ut in summa dicam, nihil philosophici in opere ejus eminebat, nisi titulus ipse et propositum.

## CAPUT IX

### De Philodemo, nec non de peculiarium successionum scriptoribus.

In quibusdam autem operibus, quibus titulus alius erat ac Διαδοχαί, aut eadem, aut saltem similis aliquando tractata fuit materia.

Inter quæ ponenda Philodemi Epicurei ἡ τῶν φιλοσόφων σύνταξις, cujus Laertius (X, 3) decimum volumen commemoravit, Epicureis,

ut videtur, dedicatum. Eidem libro ejusdem operis sine dubio referenda est altera Philodemi mentio (X, 24); utraque enim de discipulis Epicuri efficitur.

Eidem quoque operi videlicet vindicanda sunt herculanensia fragmenta duo de successionibus quum Academicorum tum Stoïcorum, quorum illud Spengelius et Buechelerus, hoc Comparettius accuratissime ediderunt. Tituli sane cum auctoris nomine perierunt; inde fit ut Nietzschius (Rh. M., 1869, p. 208) Jasoni duos hos libros tribuere potuerit, scriptoris quum videret animum Epicureis infestum; sed Buechelerus (p. 22) hanc opinionem vanam esse demonstravit. Jam de Alexandro Polyhistore suspicari liceret; sed, ut in ejus fragmentis nihil prorsus dissentit ab herculanensi scriptura, ita nihil disertis verbis consentit. Comparettius autem (p. 24-27) vero simillimum esse has paginas Philodemo esse adscribendas, nosque tenere, lacunis quidem misere fœdatos, duos libros operis a Laertio de prioribus Epicureis laudati, liquide monstravit. Temporibus Ciceronis, id est circa annos 80-43, floruisse constat Philodemum, Jasonis fere æqualem, Alexandro Polyhistore (cujus quidem vitæ finem certo definire non possumus) ætate paulo minorem. Atqui usque ad Ciceronis tempus Academicos et Stoïcos perducit herculanensis scriptor.

Ceterum ἀναγραφάς potius aut πίνακας philosophorum secundum ordinem temporum perscripsit quam διαδοχάς composuit, vel obscuriores et sine discipulis philosophos recensens, narratiunculas interdum aliaque brevia deverticula nominum inserens enumerationi, propositi tamen satis tenax. Quomodo priscos ante Socratem philosophos, arduam materiæ quam susceperat partem, tractaverit, ignoramus. Stoïcorum et Academicorum ἀναγραφήν describere minime difficilis opera erat; in qua iisdem fere fontibus atque Laertium eum usum esse, raro tamen declaratis, bene viderunt Buechelerus et Nietzschius (loc. cit.); Spengelius autem erraverat, qui fontem Laertii primarium sibi detexisse videbatur. Contra, cum Comparettio fatendum est illum consensum magis in Academicorum quam in Stoïcorum catalogo apparere (v. infra).

De discipulis ipsius Epicuri et de successione Epicureorum Laertius in libro X egit, solito negligentius etiam atque ignavius (§ 3, dein § 22-26, sed exceptis Hermarchi et Metrodori librorum indicibus aliisque deverticulis); quo de argumento Philodemum bis citavit, nullum alium protulit auctorem. Ideo suspicor illis in locis

Laertium in arctum coegisse librum τῆς τῶν φιλοσόφων συντάξεως Epicureæ sectæ dedicatum, eo ceterum stabilitus quod illa Epicureorum Laertiana ἀναγραφή, quantumvis male digesta, nonnihil similitudinis habet cum tabularum herculanensium tenore. Sane scriptor ille e quo Laertius pagellas suas decerpsit, Philodemum in ceteris neglexerat, in Epicureis secutus erat, quippe quem, ut Epicureum, arbitraretur auctorem esse de rebus illius sectæ primarium.

Eamdem fuisse scribendi rationem Apollonii Tyrii opinor, de quo Strabo (XVI, 2, 24) hæc habet : ἐκ Τύρου... μικρὸν πρὸ ἡμῶν Ἀπολλώνιος, ὁ τὸν πίνακα ἐκθεὶς τῶν ἀπὸ Ζήνωνος φιλοσόφων καὶ τῶν βιβλίων. Ea fuit διαδοχή singularis Stoïcorum, quam videlicet præcipuum fontem habuerunt ætatis inferioris scriptores. Philodemum ipsum, Apollonio fere æqualem, eam in manibus habuisse et paulo post Apollonium scripsisse, e versu aliquo papyri semiroso suspicatus est Comparettius. Laertius vero Tyrium Apollonium laudat tantum ἐν τῷ πρώτῳ περὶ Ζήνωνος (VII, 2) aut ἐν τοῖς περὶ Ζήνωνος (VII, 6 sqq.); qui de Zenone liber initium forsan erat majoris operis a Strabone commemorati. Ex illo autem sic, ut diximus, nominato, quatuor tantum Laertius desumpsit narratiunculas (VII, 1, 2, 6 sqq., 24), e quibus duæ, quæ quidem parvæ fidei sunt, ad Zenonem spectant hinc veterum libris incumbentem, illinc Stilponis, invito Cratete, sermones assiduo audientem.

Ceterum de Stoïcis constat Diogenem usum esse libro aliquo recentioris ætatis, cujus auxilio Stoïcorum seriem usque ad Cornutum, Neronis præceptorem, ac Basilidem, M. Aurelii magistrum, deducere potuit, ut patet ex indice capitulorum libri VII deperditorum, quem Valentinus Roseus primus edidit (Hermes, 1866, p. 370). Qui fons Laertii diversus etiam erat (quod liquidum fecit Comparettius, p. 19-23) a Philodemi præcipuo fonte : Philodemus enim κατὰ χρόνους censum egerat, Laertius autem in certas classes Stoïcos distribuerat, ita ut cujusque classis magistros tum Athenis, tum in aliis urbibus, ratione temporum in unaquaque classe servata, tractaret, vere διαδοχάς, non ἀναγραφήν, describeret.

Fons autem primarius Philodemi Stoïcos recensentis videtur fuisse, non Apollonius Tyrius, sed Stratocles Rhodius (v. Comparettium, p. 16, 45, 103), Panætii discipulus, Antipatri Tyrii

magister, — nisi legentis oculos fefellit papyri semirasa scriptura. Si res ita se habeat, ex illo fluere existimabuntur Apollonii Tyrii, Aristocreontis ἐν ταῖς Χρυσίππου ταφαῖς, Hermippi (v. supra p. 28), Antigoni Carystii mentiones. — Academicorum autem catalogi Philodemei fontes incerti sunt.

Scepticorum illam διαδοχήν, qua finem capit Laertii liber IX, ex auctore quodam peculiari manare, quoniam usque ad Sexti successorem continuetur, id est fere ad Laertii ætatem, plane comprobavit Nietzschius (Progr., p. 10-11; cf. Bahnsch., p. 55); ejus etiam opinione, idem erat hujus διαδοχῆς auctor atque ille e quo scepticæ doctrinæ expositionem excerpsit Laertius; hic autem auctor Theodosius quidam erat, in hac ipsa expositione laudatus (IX, 70).

## CAPUT X

### De Hippoboto, nec non de placitorum scriptoribus.

Multo gravior est Hippobotus, maximi, ut videtur, ponderis scriptor, ætatis alias incertæ, quamquam Nietzschius (Rh. M., 1870, p. 225) et Bahnschius (p. 46), freti diversis quidem, sed æque infirmis argumentis, eum primo ante Chr. sæculo aut etiam posterius floruisse contenderunt.

Prætermisso operis titulo semel citatur Hippobotus a Jamblicho (Pyth. vita, 189; cf. Porph., 61), duodecies a Laertio; contra bis eum ἐν τῷ Περὶ αἱρέσεων, semel ἐν τῇ τῶν φιλοσόφων ἀναγραφῇ Laertius laudavit. Illa fuisse opera duo separata, nec tantum duos titulos uni operi assignatos esse, libenter puto, quippe operis Περὶ αἱρέσεων propositum severe definitum novimus, in quo neque locus erat philosophis qui ante Socratem floruere, nec quidquam jure admitti poterat quod ad vitas pertineret describendas. Mea igitur sententia, ex ἀναγραφῇ τῶν φιλοσόφων decerpta sunt quæcunque de vitis Heraclidis Pontici, Menedemi cynici, Empedoclis, Heracliti, Democriti, Pythagoreorum, apud Laertium et Jamblichum (Jambl., loc. cit.;

D. L. V, 90; VI, 102; VIII, 51, 69, 72; IX, 5, 40), Hippoboti nomine allato, commemorantur. Sapientium autem index a Laertio (I, 42) τῇ ἀναγραφῇ τῶν φιλοσόφων expresse refertur.

Hæc præter citata loca, nonnullæ nobis sunt Hippoboti mentiones aliæ, — quarum una est de Cyrenaïcorum opinionibus, ex opere Περὶ αἱρέσεων (II, 88); — alibi describitur hujusce operis Περὶ αἱρέσεων ratio (Pr., 19); — quinque autem loca de discipulorum cum magistris cognationibus utro potius ex opere decerpta sint difficile est perspicere : ordo enim doctrinarum, in opere Περὶ αἱρέσεων comprobatus, sane et ἀναγραφῆς forma erat et ratio; locus tamen de Pythagoræ filio Telauge (v. infra) non poterat ex alio fonte atque ex ἀναγραφῇ manare.

Quum autem Hippobotus simul cum Sotione bis laudetur (IX, 5, 115), credere libet illum, ætate huic inferiorem, Sotionei operis eruditione adhibita, sed emendatis erroribus, simile propositum φιλοσοφωτέρως instaurare voluisse.

Quidquid est, fragmenta ad διαδοχάς pertinentia laudemus :

1. D. L. VIII, 43. — De Telauge, ut ferebatur, Pythagoræ filio, Empedoclis magistro, testem Hippobotus afferebat Empedoclis versum.

2. D. L. VII, 38. — Quinque Zenonis discipuli ex Hippoboto enumerantur.

3. D. L. IX, 115. — Timonis quatuor discipuli, secundum Hippobotum et Sotionem (v. supra p. 54).

Inde jam perspicuum est accurate Hippobotum et διαδοχάς et ἀναγραφάς philosophorum tractavisse. Imo quam egregia novitate philosophos ordinaverit ex hisce duobus locis apparet :

4. D. L. VI, 85. — Ἱππόβοτός φησιν οὐ Διογένους μαθητὴν γεγονέναι Cratetem cynicum, ἀλλὰ Βρύσωνος τοῦ Ἀχαιοῦ. Hunc Brysonem Stilponis discipulum fuisse jam statuimus (p. 45), quum de Alexandro Polyhistore disseruimus, qui eumdem Pyrrhonis magistrum fuisse retulerat.

5. D. L. VII, 25. — Συνδιέτριψε δὲ καὶ Διοδώρῳ (id est Diodoro Crono, Megarico) Zeno Cittiensis, καθά φησιν Ἱππόβοτος · παρ' ᾧ καὶ τὰ διαλεκτικὰ ἐξεπόνησεν, κτλ.; forsan ex Hippoboto fluunt etiam quæ sequuntur.

Quum affirmaret Zenonem fuisse Megaricorum discipulum, cum permultis scriptoribus consentiebat Hippobotus (v. D. L. II, 114, 120; VII, 2, 4, 16, 24, 25; — v. supra, de Sotione, p. 53). Cui

etiam peculiaris hæc erat et proposita mens ut, Cynicos premendo, simul Megaricos extolleret. Pretium autem est operæ notare sententiam ejus cum Alexandro congruere, quum uterque Megaricam dialecticam fontem fuisse doctrinarum præcipue uberrimum cogitavisse videatur. Ceterum Hippobotus Cynicos et Pyrrhoneos vere sectarum nomine dignos esse negabat, quod ipsius libri summarium in Laertii proœmio servatum, declarat; illos videlicet, sicut et Dialecticos, esse quasi recidivos frutices e Megarica stirpe ortos existimabat; qua in sententia sane cum Alexandro consentiebat, sive hic ætate major, sive minor fuisset; Alexandrum autem posteriorem fuisse malim, quippe Hippoboto erat novitas in cogitando qua non videtur fuisse præditus Alexander.

Ceterum, hoc summarium, ut par est, transcribamus :

D. L. Pr. 19-20 : Ἱππόβοτος δ᾽ ἐν τῷ Περὶ αἱρέσεων ἐννέα φησὶν αἱρέσεις καὶ ἀγωγὰς εἶναι · πρώτην Μεγαρικήν, δευτέραν Ἐρετρικήν, τρίτην Κυρηναϊκήν, τετάρτην Ἐπικούρειον, πέμπτην Ἀννικέρειον, ἕκτην Θεοδώρειον, ἑβδόμην Ζηνώνειον τὴν καὶ Στωικήν, ὀγδόην Ἀκαδημαϊκὴν τὴν ἀρχαίαν, ἐνάτην Περιπατητικήν · οὔτε δὲ Κυνικήν, οὔτε Ἠλιακήν, οὔτε Διαλεκτικήν. Τὴν μὲν γὰρ Πυρρώνειον οὐδ᾽ οἱ πλείους (inter quos sine dubio Hippobotus) προσποιοῦνται διὰ τὴν ἀσάφειαν, κτλ.

Hunc locum optime illustravit Nietzschius (Rh. M., 1870, p. 223-224) : « Nullam Hippobotus agnovit φιλοσόφων αἵρεσιν, nisi quæ certis δόγμασι circumscripta sit. Ergo Eliacos reprobavit nulla excellentes peculiari doctrina, Dialecticos nomine solo contentionisque studio a Megaricis diversos, Pyrrhoneos qui nihil definiebant neque ulli addicti erant sententiæ, Academiæ mediæ novæque sectatores, qui de judicii ambiguitate cum Pyrrhoneis consentiunt, Cynicos denique, quibus propriam quamdam concedebat ἔνστασιν βίου (D. L. VI, 103), non certam novamque philosophandi rationem. In hac κανόνος severitate eo prodiit, ut Cratetem negaret e Diogenis cynici profectum esse disciplina ; quod si recte statuit, successionem statuit legitimam continuamque, quæ necessario requiritur ad αἱρέσεως notionem stabiliendam, nullam fuisse Cynicorum. Idemque inde perspicitur consilium quod Zenonem stoïcum dixit dialecticam a Diodoro Megarico accepisse, ita ut multa ad stoïcam condendam scholam Megarici attulisse viderentur, nihil Cynici. » Alexandri cum Hippoboto consensum notare Nietzschius omisit ; hoc unum salvo, ab ejus sententia nostram minime abhorrere perspicuum est.

Hippobotum, qui præcipue Megaricis indulgebat, Cyrenaïcis non

minus, sed alio modo, favisse, primum saltem animadvertenti videtur, et credidit Nietzschius, cujus ipsa verba (loc. cit.) describere est :

« Idem enim, qui tot philosophos a solito αἱρέσεως receptaculo interclusit totque talium αἱρέσεων nomina proprio marte expunxit, hac in re plane diversum probat judicium, quod uni Hedonicorum sectæ, quam ceteri agnoverunt scriptores, et Cyrenaïcam et Ἀννικέρειον et Θεωδώρειον quodammodo exsecuit, nominibus illas placitisque inter se discrepantes. E quo hoc certe sequitur, eum in angustiis argutiisque harum sectarum imprimis esse versatum. »

Concedo equidem hanc triplicem partitionem in opere Hippoboti probatam fuisse, etiamsi ipse non primus illam finxerit. Addo auctorem quem Laertius in Cyrenaïcarum doctrinarum descriptione (II, 86-99) decerpsit, Hippoboti libro (quem semel citavit) usum esse. Verum Nietzschio consentire totam illam placitorum descriptionem ab Hippoboto profectam esse asserenti (p. 226) nequeo, quum ille auctor Cyrenaïcam sectam in quatuor genera, non vero in tria, ut Hippobotus, partitus sit, Hegesiacos Cyrenaïcis, ut ita dicam, meris proximos subjunxerit, eosdem ante Annicereos ac Theodoreos tractaverit; imo, quum idem auctor Hippobotum laudat, non eum aliter laudat ac Panætium ἐν τῷ Περὶ αἱρέσεων; nihil igitur probat Hippobotum ex opere Panætii utilitatem cepisse et post eum scripsisse, quod tamen Nietzschius (p. 225) sibi visus est probavisse.

Mihi potius videtur illam in quatuor genera partitionem Sotioneam esse, Hippoboti severo judicio sublatos esse Hegesiacos, nedum Annicereos et Theodoreos primus protulerit : nonne enim jam vidimus (p. 20) a Callimacho Θεοδώρειον quemdam cognomine notatum fuisse? Nonne satis constat Alexandriæ præcipue viguisse, haud ita multo ante Sotionem Alexandrinum, illas, ut ita dicam, sectarum particulas? Postremo Sotionis locum apud Sextum Empiricum memoremus, ubi Sotio cum præcipuo hujus placitorum descriptionis auctore consentit (v. supra, p. 50).

Verisimilior est Nietzschius, quum contendit (p. 224-225) procemii Laertiani particulas de Lino, Musæo, Orpheo (Pr. 3, 4, 5) ab Hippoboti libro decerpta esse, — qui liber Ἀναγραφή mea sententia fuerit, — et Hippobotum, his perantiquis et quasi fabulosis viris allatis, contra Sotionis opinionem scripsisse, originem philosophiæ apud barbaros quærentis. Notandum est enim Linum et Orpheum in indice Sapientium Hippoboteo primos esse inscriptos; quod

autem contra traditum morem tales viros in hoc indice inseruit, eum non inconsulto fecisse credas, nec male Nietzschius hoc propositum videtur detexisse. — Nobis igitur credere licet procemium Laertii (detracto solum § 21, id est ultimo) nihil fere aliud esse ac Sotionis procemium (v. supra, p. 60-61), in quo inclusa fuerint loca quædam ex opere Hippoboti excerpta (§§ 3-5, 19-20).

Inde jam intelligi potest Hippobotum acerrima mente præditum fuisse et historico æque ac philosophico ingenio [1], sed, ut mihi videtur, litigioso atque angusto : minores scholas a philosophorum serie repellere, severius erat, imo iniquum; nam e doctrinis minutis fieri potest principium maximarum : ut Thales, unius fere sententiæ auctor, prævius fuit Anaximandro, uberrimi et audacissimi ingenii viro, ita Crates cynicus potuit esse prævius Zenoni; sane magistri cujusdam auxilio sui conscium fiat summum quodque ingenium necesse est; summo autem ingenio ipsum magistrum eminuisse supervacaneum. — Alioquin, ut Hippobotus, quum de vitis philosophorum scribebat, probum præbebat ingenium ac rectum, minimeque pusillum, sic videtur de sectis ac simul de cognatione sectarum opus scripsisse inter opera a veteribus edita maxime excogitatum.

Præterea, Laertium, sæpe quidem ex opere Hippoboti locis excerptis et illius pondere ita indicato, non tamen ad ejusdem operis formam finxisse sui libri ordinem et materiam, supervacaneum est forsan animadvertere, adeo res per se ipsa liquet; quippe qui omnes illas minores sectas fuse tractaverit quas ab historia philosophica prohibere vellet Hippobotus.

Hippoboti libro excepto, ex operibus de sectis aut de placitis nullum de successionibus testimonium a Laertio allatum habemus. Quæ tamen decet enumerare [2]; nam ex his operibus utilitas quædam capi potuit occulto.

Eratosthenem Περὶ τῶν κατὰ φιλοσοφίαν αἱρέσεων scripsisse, hujus tituli, ut videtur, auctorem, testatur Suidas, non dixit Laertius.

(1) Nietzschii igitur memoria Hippobotus casu excesserat, quum libros περὶ αἱρέσεων inscriptos non ad philosophiæ historiam, sed ad ipsam philosophiam pertinere asseruit (Rh. M., 1869, p. 194).

(2) Epicuri librum Περὶ αἱρέσεων (D. L. X, 136) jure omittimus, cui genuinus titulus erat Περὶ αἱρέσεων καὶ φυγῶν, id est : qua arte eligantur eligenda, vitanda autem vitentur (v. Bahnsch., p. 9-10).

Panætius ἐν τῷ περὶ τῶν αἱρέσεων semel de Cyrenaïcorum placitis laudatur (II, 87). Ex alio profecto opere Panætii de genuinis sive spuriis Socraticorum dialogis opiniones et alia ejusmodi κριτικώτατα Laertius excerpsit.

Meleager ἐν τῷ δευτέρῳ περὶ δοξῶν, et Clitomachus ἐν τῷ πρώτῳ περὶ αἱρέσεων, una semel laudantur de Cyrenaïcorum doctrina (II, 92).

Theodorus ἐν τῷ περὶ αἱρέσεων Aristippum conviciis exagitabat (II, 65); stoïcus videlicet ille : nempe tres Theodori stoïci ab ipso Laertio recensentur (II, 104).

Contra Epicureus erat Apollodorus Atheniensis (cognominibus Ephillus et Cepotyrannus) [1], qui ἐν τῇ συναγωγῇ τῶν δογμάτων, Chrysippum premendo, Epicurum extollebat (VII, 181). Idem, ἐν τῷ περὶ τῶν φιλοσόφων αἱρέσεων, Solonis sententias congesserat (I, 60), forsan et aliorum Sapientium (v. Nietz., Rh. M., 1869, p. 199-200). — Idem in incerto libro Leucippum Democriti magistrum fuisse, contra Epicuri ipsius sententiam (v. supra cap. II, p. 19), asseruerat (X, 13).

## CAPUT XI

### De ceteris Laertii auctoribus.

Restat ut ceteros scriptores recenseamus, plerosque recentiores et minimæ auctoritatis, qui apud Laertium de successionibus citantur. Mera jam satis erit nomenclatura, brevi interdum interposito commentario; præsertim quum operum quæ jam citabuntur propositum plus minus a successionibus abhorreret, successiones non nisi casu aut in transitu in eis tractarentur. Ut enim et vitæ et placita in libris Διαδοχαί inscriptis plus minus explicabantur, ita de successionibus interdum res erat in libris aut magis philosophicis, ut illi qui Περὶ αἱρέσεων inscripti erant, aut minus, imo minime philosophicis, ut illi qui titulum sive Βίοι (ut Neanthis et Satyri, de quibus supra egimus) sive alium quemvis habebant; quæ tamen

(1) De duobus Apollodoris Atheniensibus, altero Epicureo, altero Chronicorum scriptore, vide Nietzschium, Rh. M., 1869, p. 199-200, nec non Bahnschium, p. 19-20.

inter opera et Διαδοχάς nonnihil commune fuit, si quidem philosophos aut sectas servato temporum ordine retulerint.

Antigonus Carystius, Ptolemæorum II et III æqualis, Βίους φιλοσόφων scripserat, narratiuncularum farraginem; inde sæpe laudatus est ab Athenæo, sæpius etiam a Laertio, qui eum pro fonte primario de vitis videtur accepisse. Successiones exacte notare sane fastidiebat; e quo nempe unus tantum locus ad nostram materiam referri potest : IX, 69, de Nausiphane Pyrrhonis discipulo; — addamus apud Athenæum (IV, p. 162 f) locum de Ctesibio, qui Menedemi γνώριμος appellatur.

Diocles Magnes citatur nunc ἐν τοῖς βίοις τῶν φιλοσόφων, nunc ἐν τῇ ἐπιδρομῇ (id est in compendio) τῶν φιλοσόφων; quibus titulis unum idemque opus designari bene vidit Nietzschius (Rh. M., 1868, p. 642). Quod opus, ubi diversissima argumenta passim tractata erant, unum e præcipuis Laertii fontibus fuisse perspicuum est; sed Laertii libros vix aliud esse nisi Dioclis epitomem (interpositis tantum 1° de Favorino decerptis narratiunculis et disceptationibus, 2° Laertii ipsius epigrammatibus, 3° scepticorum placitis et successione, de qua v. supra p. 66), artificiose statuit idem Nietzschius (Rh. M. 1868 et 1869, passim; v. imprimis 1869, p. 201; Progr., p. 10-11), cujus ædificium imbecillum, etsi ingeniosissime exstructum, assensu nostro quasi solidum comprobare non audeamus. Verisimilior est argumentatio qua statuit Dioclem initio primi post Chr. n. sæculi floruisse (Rh. M., 1868, p. 638 sqq.). — Quidquid est, Diocles ille non nisi quater a Laertio de successionibus laudatus est :

VI, 87 : Diogene cynico suadente, cynicum sese Cratetem fecisse;

VII, 162 : Polemoni congressus Aristo stoïcus, quum Zeno morbo esset implicitus, sententiam mutavit;

VII, 166, 167 : quos vicissim magistros habuerit Dionysius stoïcus, cognomine Transfuga;

VII, 179 : Chrysippus auditor fuit Ζήνωνος, ἢ Κλεάνθους, ὡς Διοκλῆς καὶ οἱ πλείους.

Notandum est Dioclis sententiam in his quatuor locis Laertium secutum esse; inde conjectari licet Sotionis Alexandrini διαδοχάς ad Laertium per Dioclis ἐπιδρομήν, sin minus totas, parte saltem aliqua, esse advectas (v. supra p. 48, 62).

Demetrium Magnetem jam statuimus (p. 40) temporibus fere Ciceronis floruisse. Cujus opus Περὶ ὁμωνύμων ποιητῶν τε καὶ συγγράφεων ex duabus quasi partibus constabat : 1° quot erant nomina diversis aut in versu aut in oratione scriptoribus communia, tot inerant summaria, jejuni nempe indices et quasi πίνακες τῶν ἐν παιδείᾳ διαλαμψάντων ὁμωνύμων, in quibus scriptores, nec non interdum artifices, sine ordine definito, neglecta præsertim temporum notatione (vide imprimis Theodororum indicem, ap. D. L. II, 103-104); 2° sub quoque indice singulæ cujusque nominis scriptorum clariorum (jam neglectis humilioribus) vitæ describebantur.

Inter illa summaria transcripsit multa Laertius, quæ mutuatus auctorem sibi fuisse Demetrium Magnetem nusquam professus est; — præterea, e vitarum narrationibus diversa excerpsit testimonia, tum vero suum auctorem indicare solitus. In summariis nonnulla de magistris ac discipulis, plerumque humilioribus, feruntur testimonia, quæ transcribere supervacaneum est. Ea modo laudabimus quæ e vitarum descriptionibus excerpta sunt :

VII, 31-32 : Zenoni adhuc puero Mnaseam patrem, sæpe quippe mercatorem Athenis adventantem, complures Socraticos libros advexisse; et hac re jam in patria philosophia fuisse imbutum Zenonem; inde Athenas perrexisse, Cratetique congressum esse.

X, 13 : Epicurum καὶ Ξενοκράτους ἀκοῦσαι.

Apollodorus Atheniensis, quum Panætii, tum Aristarchi discipulus, sub Ptolemæo VII (146-117) floruit, annis 144-129 (v. Bahnsch., p. 46) Χρονικά scripsit. Is egregias Eratosthenis de temporum notatione indagationes et inventa vulgavit; idem, quamquam temporum erat ante omnia studiosus, sæpe tamen, ut videtur, certa de philosophorum successione præbuit testimonia, — quorum tria servavit Laertius :

IX, 25 : Zenonem adoptione Parmenidis filium fuisse;

V, 58 : Strato peripateticæ scholæ præesse cœpit olympiade CXXIII, eamque annos octo et decem tenuit;

X, 7 : Epicurus Nausiphanis et Praxiphanis auditor fuerat.

Apollonides Nicenus, Tiberii principis æqualis, de Timonis Sillis commentarios scripserat, quorum in primo libro, Timonis vitam enarrans, hunc Stilponis primum, dein Pyrrhonis familiarem fuisse auctor erat (IX, 109).

Thrasylus, et ipse Tiberii æqualis, ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Τὰ πρὸ τῆς ἀναγνώσεως τῶν Δημοκρίτου βιβλίων (D. L. IX, 41), Democritum Pytha-

goræ æmulum et in omni re sectatorem fuisse contendebat (IX, 38).

Favorinus Arelatensis Hadriani Cæsaris temporibus floruit; ἐν Παντοδαπῇ ἱστορίᾳ incertos auctores qui discipulum Anaxagoræ Democritum retulerant haud imperite refutabat (IX, 34-35).

Apollodorus Cyzicenus, de quo alibi nulla est mentio, Democritum Φιλολάῳ συγγεγονέναι asseruerat (IX, 38).

Democritum contra puerum a Magis et Chaldæis theologiam et astrologiam Abderæ didicisse, quos Xerxes ibi patri illius præceptores reliquerat, Herodoto auctori tribuit Laertius (IX, 34); at « earum rerum apud Herodotum nec vola nec vestigium; ita ut aut alium Herodotum intelligi aut corruptum locum esse credas » (Bahnsch., p. 12). Credo equidem ibi citari Herodotum Epicuri discipulum (v. X, 5), qui alibi (X, 4) expresse ἐν τῷ Περὶ Ἐπικούρου ἐφηβείας laudatur. Qui profecto Herodotus in hoc libro Democriti quoque ἐφηβείαν narrare potuit, quoniam Epicurus Democriti æmulus erat et in physicis sectator, idem Democriti libros legendo (ut saltem referebat Hermippus) ad philosophiam allectus erat.

Antiphon, ἐν τῷ Περὶ τῶν ἐν ἀρετῇ πρωτευσάντων, de Pythagora in Ægypto studente narraverat (IX, 3; cf. Porph., Pyth. vita, 7). Quis fuerit ille Antiphon, ignoramus (v. Jonsium, IV, 5).

Ascanius Abderites, alioquin ignotus scriptor, forsan Pyrrhoneus ([1]), Pyrrhonem, Anaxarchi comitem itinerum, a Gymnosophistis et Magis doctrinæ principia accepisse, asseruerat (IX, 61).

De Menodoto, ut videtur, sceptico, supra diximus (p. 54).

Dionysii tyranni ad Speusippum epistola, spuria videlicet, quasi documentum profertur de Lasthenia Mantinea', Platonis et Speusippi discipula (IV, 2); cujus epistolæ meminit et Athenæus (VII, p. 279 e; XII, p. 546 d).

Philippo Megarensi auctore, de quo nihil aliunde accepimus, discipuli enumerantur qui ad Stilponem accesserant, sive Theophrasto, sive aliis magistris derelictis (II, 113).

Eumelus quidam historicus de Aristotele, quem agens ætatis annum in Platonis disciplinam venerit, laudatur et refellitur (V, 6).

Timocrates quidam, alioquin ignotus, ἐν τῷ Δίωνι auctor erat Zenonem, Cratete relicto, Stilponis et Xenocratis per decennium auditorem fuisse (VII, 2).

([1]) Quod quidem conjecit Car. Waddington *Pyrrhon et le Pyrrhonisme*, 1876, p. 54; extrait des *Comptes-rendus de l'Académie des Sciences morales et politiques*), nos quoque verisimile esse opinamur.

MYRONIANUS, ætatis incertæ scriptor, ἐν Ὁμοίοις ἱστορικοῖς κεφαλαίοις, citatur de Theophrasti servo et discipulo, nomine Pompylo (V, 36), — de Epicuri servo et discipulo, cui nomen Mys erat (X, 3).

---

## CAPUT XII

### Conclusio.

Quæ præcipua nostris e disputationibus manare videantur breviter contrahere nobis postremo liceat.

Constat apud veteres exstitisse diversas, tres saltem numero, de philosophorum continuatione doctrinas, tres, dico, rationes sentiendi atque exponendi quo ex ordine philosophicæ Græcorum sententiæ aliæ ex aliis ortæ fuerint. Num supra tres fuerint ignoramus, quippe qui de Jasonis, Niciæ Nicæensis ac Sosicratis rationibus nihil omnino sciamus; nec magis quidquam de Philodemi ratione compertum habemus, quoniam ex hujus opere tres solum novimus partes de tribus sectis, Academica, Stoïca, Epicurea, quarum nulla quæstioni disputandæ præbebat materiam.

Contra quidem diversa comprobari poterant ac revera comprobata fuerunt : 1° de nexu et successione philosophorum physicorum Socratis ætate priorum, — 2° de Socraticorum minorum, præcipue Cynicorum et Megaricorum, auctoritate apud exorientes sectas ætate Aristoteli inferiores, imprimis scepticam et stoïcam.

De hujusmodi quæstionibus inter se dissentiunt auctores quorum summas rationes novimus; atqui

1° THEOPHRASTUS, dein multo posterior ANTISTHENES, peripateticus et ipse, satis fideliter Aristotelis vestigiis insistebant;

2° HIPPOBOTUS et ALEXANDER POLYHISTOR, Megaricis faventes, simul ceteras scholas minores premendo, ab illa solum secta censebant doctrinas tum Pyrrhoneam tum Stoïcam originem duxisse;

3° Ab utrisque abhorrebat SOTIO, qui duas series philosophorum discernebat, alteram ex Ionicis, alteram ex Italicis ortam, alioquin duos solitarios philosophos, Heraclitum et Xenophanem, idem a

Xenophane Parmenidem sejungebat, Pyrrhonem et Epicurum cum Democrito, nempe cum Italicis, Stoïcos autem cum cynicis conjungebat.

Trium illarum de successionibus doctrinarum prima de physicis ante Socratem profecto erat aliis certior, quamquam de Diogene Apolloniata Theophrastus erravit; — altera, egregia novitate, præsertim de philosophis post Socratem ortis, conspicua, mentem sane valebat ita oblectare ut solent opera nervis plena, excogitata et audacia; ei vero parum inerat auctoritatis, ut fit in opere haud satis integri ac liberi animi; — tertia denique, eruditissimi quidem viri opus ac diligentissimi, sed humilioris mentis, sibi tamen fidentioris, angustæ simul atque credulæ, mediocri digna erat auctoritate; copiosa tamen Alexandrinorum eruditione commendabatur, nec non forsan antiquitate, quippe ante ceteras Διαδοχάς Sotioneum opus exstiterat. Ex his videlicet causis in maxima laude fuit illud opus, in breve coactum, sæpe transcriptum, factumque, ut ita dicam, scholasticum; ab illo sæpe formam et præcipuas res, ut videtur, mutuata sunt ejusdem generis aut vicini argumenti opera, mutatis solum additisve minoris momenti narratiunculis; ita ut, quum Laertius suum opus inciperet, Sotionis vestigiis, inscius forsan, institerit, quippe quum inter ipsius auctores hic Sotioneum opus, ille Heraclidis Lembi compendium in suam rem convertisset.

Claro inde exemplo manifestum est quam inconstanti firmitate valuerit apud veteres historicum judicium, non aliter vigens ac flamma tremula cujus lumen neque continuo crescat neque etiam stet certum. Circa Christi ortum, solæ pollent illæ philosophicæ sectæ quibus uni curæ sunt mores ac vitæ regimen, inde contemptui historia qualiscunque; simul relinquebantur historicæ quæstiones discipulis grammaticorum, grammaticis et ipsis, angustis ingeniis ac pusillis; jam neque in philosophorum neque in grammaticorum scholis legebantur Platonis, Aristotelis, Theophrasti opera, aut etiam lecta non jam plane intelligebantur; quæ nemo in rem suam convertere jam valebat, nec quisquam erat qui tantorum ingeniorum vestigia sequeretur. Istiusmodi fuere viri qui διαδοχάς composuerunt, quique ne tam vere philosophi quidem erant ut priorum doctrinarum perite scriberent historiam. Sane, post Sotionen, videntur meliora de iisdem rebus opera scripta fuisse, ab Hippoboto videlicet et Antisthene; horum vero operum non bene perspecta est a legen-

tibus auctoritas, neque eis unquam merita gratia contigit. Contra, semper viguit, ut enchiridion, Sotionis opus mediocre ac vetustum.

Si quis, Laertii temporibus, eximiam Græcæ philosophiæ historiam scribere voluisset, eum oportebat Alexandrinorum et iis æmulantium opera a principio repetere ac penitus instaurare, omnino neglectis temporum recentiorum voluminibus, exceptis tamen horum partibus quæ ad philosophos post Platonem et Aristotelem ortos pertinebant. Alexandrini enim critici, quamquam multa sedulitate philosophiæ historiam susceperant, qua mente ac ratione instituenda sit ignoravere. Judicii quidem apud veteres incrementa alius generis quæstionibus profuere, temporum videlicet notationi et scripturarum recensioni; rerum vero philosophicarum historiæ nunquam exstitit suus Aristarchus suusve Didymus. Difficilius etiam Laertii temporibus aut post eum optatus ille vir exoriri poterat : neque enim Plutarchus, neque profecto Porphyrius, neque etiam insignes illi Aristotelis interpretes, ii erant qui melius quidquam Sotionis et Hippoboti operibus de universa Græcorum philosophia componerent. Nulla igitur unquam ætate philosophiæ Græcorum tam splendide increscenti, tam varie florenti, suus fuit Græcus historicus ipsa vere dignus. In summa, illa philosophiæ historia quam præsenserant et adumbraverant Aristoteles ac Theophrastus, denique est res opusque nostræ ætatis, imo, ut vere dicam, hujusce sæculi ; nuperrime enim Græca philosophia dignis monumentis primum illustrata fuit, quæ in suam ipsius laudem extollere nescierat.

*Vidi ac perlegi,*

Lutet. Paris. in Sorbona prid. non. jul. an. MDCCCLXXXI
Fac. Litter. in Acad. Paris. decanus.

H. WALLON.

TYPIS MANDETUR :

*Academiæ Parisiensis rector,*

GRÉARD.

# CORRIGENDA

Pag. 5, l. 6. — Lege : τοιαύτης.

P. 13, l. 18. — Lege : τούτοις ἐπιγενόμενος.

P. 14, l. 13-14. — Titulus absolutus : Φυσικῶν δοξῶν ἐπιτομή exstat apud Galenum (in Hippocratem de natura hominis comment.); v. Menagium, ad D. L. V, 48.

P. 19, l. 27 et 34. — Lege : αὐτοδίδακτον, αὐτοδίδακτος.

P. 28, l. 18. — Lege : νομοθέται.

# INDEX



Burdigalæ. — Ex typis G. GOUNOUILHOU, 11, via dicta Guiraude, 11.